rium est: nam candidum igne concrescit, frigore non: uitellum uerò igne non concrescit, sed moderato liquidum remanet, immoderato cogitur: sed non concrescit, imò friabile fit: cõcoctum enim magis candidum, ex quo pullus gignitur, & ipsum è luteo (ut diximus) exprimitur ui caloris: minus tamen nutrit, & est frigidius luteo. Nascuntur oua in pedes, non in caput, ut animalia: quia animata non sunt, ideoq; se conuertere nequeunt: annexi autem sunt utero, umbilico proprio.

Proprietates candidi & lutei contrariæ.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. Liber VIII.

De Homine.

HVMANA NATVRA. CAP. XL.

Homo mortalib. omnibus reb. in tribus præcellit.

OMO, omnibus mortalibus rebus tribus præcellere uidetur: quòd multa habeat solus: quòd quæ cum alijs cõmunia habet, meliora sint: quodq; omnium sit capax. Propria homini sunt mẽs, atque hæc illum superis æquat: inde ratio, quæ mortalibus eum præfert: tertium quod & nobilissimum, est manus. Aliæ tamesi manũ habere uideantur, differre tamen, & non esse

esse ueram brutorum animalium manum quisq; ut intelligit, ita pauci cur manus non sit, dicere nesciunt. Differt aũt manus humana à simarum manu, firmitate plurimum, atque situ. Sed & solus homo, uerè erectus est. Simijs, fœmoris os obliquius acetabulo committitur: & quidam musculi in tibiam longiùs extenduntur. Quamobrem bene se habet illud poëticum:

Os homini sublime dedit cœlumq; tueri,
Iussit & erectos ad sydera tollere uultus.

Homo quæ solus habet

Solus habet cordis cuspidem non in medio, sed in sinistra parte: solus ambi dexter est, cùm cætera animalia dextra parte sint ualidiora: solus, in inferiore palpebra supercilia: solus ridet: solus loquitur: (picæ, corui, psitaci, imaginem solam sermonis habent) soli, patet umbilicus: soli pars anterior pilis magis abundat: soliq; ex mento barba: solus, in uenerem fermè omni tempore pronus: solus, pedum digitos breuiores longè quàm manuum.

Porrò & in his quæ illi cõmunia sunt, cũ alijs animalibus, tantũ etiam habet discriminis, ut sua etiã hæc uideantur. Veluti sensus tã interiores quàm exteriores, quibus sensibilium medullã percipit, non ut cætera animalia solũ cortice. Vide memoriam hominis quanta sit? ut aliorũ animalium penè nulla uideatur. Similiter & formæ dignitas, et capitis pilorũ multitudo, multitudo & musculorum totius corporis, & ideò quaqua uersum motuũ facilitas, pectoris amplitudo, & pedum, mammarum in pectore altitudo, sanguinis copia ac tenuitas & claritas, cerebri quoq; abundantia, & uesicæ magnitudo, linguam quoq; latam, mollem & solutã à uinculis, cor & pulmones calidissimos. Somnia tam multa & uaria uidet, ut solus somniare dici possit. In eius genere, plurimum musculus à fœmina differt.

Homo in quibus præcellat.

Vt uerò

Homo quæ solus patiatur.

Vt uerò multa habet præcipua bona, ita & multis malis præter cætera affligitur. Soli enim cor palpitat, solus titillationis sensum habet, solus plorat fermè, quanquam & equos, & phasianos, & thynnos, plorare quidam existimẽt, sed solum lachrymas fundunt. Solus mutus nascitur, clauduſq; lithiasim natus solus & penè uitiliginem patitur. Equis sanguis profluens è naribus, à pulmonibus uenit, unde lætiferum, homini soli per nares è capite. Solus lingua hæsitat, soli è cicatricibus pili non prodeunt. Tardissimè uerò proficit uocem, sternutatio illi frequentior, & oculorum situs peruersio.

Frequentius oritur oblæsus cæteris animantibus, tardiusq; graditur. Cæsij plerunq; illi nascenti oculi sunt, & maximè tempora nascendi mutat: quæ omnia ad imbecillitatem pertinent.

Naturæ hominũ uariẽ.

At ipse solus uidetur è diuerso, omnium animalium uices subire. Truculenti enim quidam ut tigres, alij rapaces ut lupi, alij immanes ut serpentes, alij fortes & crudeles, ut leones, timidi alij ut lepores, & inuidi ut canes, sordidi alij ut sues, alij natant ut pisces, alij uirulenti, ut uiperæ & ceraſtes, humani alij ut agni. Atq; ita de alijs. Non desunt etiam qui formam mutent, ueluti cùm digitis pedum prælongis scandunt, ut mures ac simiæ. Alij aures habent mobiles, ut Vesalius narrat se uidisse Patauij iurisconsultũ Claudium Symionium Foroiuliensem uirum facetum, & Petrum Rauascherium Genuensem uirum fortẽ & strenuum. Videntur autem morũ discrimina, humanitas, lautitia, splendor, cultus corporis, habitatio, pudicitiæ cura in mulieribus: eruditionis in pueris, cibi & potus. Sunt & ingenia acria, hebetia, aliaq; huiusmodi: ut cultus religionis, fides, prudentia, fortitudo, modestia, cõstantia, cæteraq; talia. Hæc aũt

Homines aurib. mobilibus.

natura

natura loci constant, consuetudine, legibus, & necessitate quadam. Mansueti sunt Indorum quidam: Scythæ autem & Parthi, quos communi nomine nũc uocamus Tartaros, feri. Extrema quidem non solùm in regionibus, sed etiam ætatibus feritatem retinẽt. Antiquo tempore, ob robur corporum & libertatem, cùm nullis arcerentur legibus, incultosq; animos gererent: postremò ob uafriciem. Verùm extremum in omnibus, ubi ultimò imperium fuit. Nam neque imperare absq; maxima prudentia ac ciuilitate contingit, nec imperium parare absque fortitudine. Nam qui imperant & acquirunt, alij sunt ab his per quos acquiritur. Neque ubi cõstiterit Imperium, alij mores, alius cultus esse potest: cùm igitur ad Italos postremò Imperium peruenerit, omnia discrimina in illis magis erunt, & maiora quàm in ullis alijs gentibus. Constitutis igitur Italis in altero extremorum, reliquum obtinebunt Anthropophagi, quos nunc uocant Canibales. Hi enim ut nomine ipso decernitur, humanas carnes edunt: ab omni cultu corporis atq; animi, tũ ædium ac liberorum, uxorumq; alieni. Adeò ut cum seruabus coëuntes & filios procreantes, illos comedant. Proximi his sunt Scoti sylueſtres, ac Scythæ, et Hispani. Nulla enim gens Italis similior est. In horum rursus medio Angli, & Germani: ex aduerso latere Galli positi sunt: licet enim Hispanis Galli situ sint proximiores, loci tamen ratione et diei prolixitate plus distant. Vnde fit, ut Angli ob utrunq;, plus etiam Gallis, ab optimo genere, & medio distent. Corpora autem minus differre uidentur calore maris, frigus regionis moderante.

Hominum genera sex.

Sed plurimũ in cunctis leges possunt: si Rex Edoardus sextus huius nominis, adolescentulus miræ spei superuixisset, non parũ ad totius regni institutionẽ contulisset. Beata enim

Edoardi sexti regis Angliæ laus.

enim (ut inquit Plato) Respublica, in qua reges philosophi sunt. Sed alia maiore causa forsan non expediuit. Regem enim cuncti suspiciunt, & iuxta illud Claudianum,

Regis ad exemplum nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis,
Mobile mutatur semper cum Principe uulgus.

Cur hominum tã uarij mores, naturaq;.

Vt uerò generalis quædam ratio conditionis hominum habeatur, tum cæterorum animantium, scire expedit, terras quasdam esse steriles, quæ paucas herbas salutares atq; homini utiles nutriãt: plerasq; autem salsuginosas atq; amaras: optimæ uerò imbecilles, tum propter nutrimenti inopiam, tum naturæ terræ contrarietatem. Vnde fit, ut etiam animalia sint minus robusta, pinguia atq; fœcunda. Et præcipuè usui hominum accommodata, ut oues ac boues. Ex his itaq; nutriti homines fiunt macilenti, laboriosi, agiles, industrij, fortes, crudeles, naturæq; ferarum similes. Sunt & seditiosi atque iracundi, nec fideles, nec ingeniosi natura. Cute sunt aspera, nec magni. Sic igitur ex elementis, alimenta: ex his, corpora: ex his autem, mores. Vnum uerò exemplum pluribus sufficiat explicandis. Causa uerò horum, ut aliqui sint molliores cane leui Indiæ occidentalioris, alij mustela ferociores, alij uiperis (ut dixi) uirulentiores, est (ut exempli causa proponatur) quòd in aconito partes sint tres terræ exustæ, puræ autem una, & tantundem aquæ: exustæ uerò & quasi corruptæ, duæ. Hæc quidem confractis primùm inuicem uiribus, quemadmodum dictum est, aconitum creant. Si autem denuò redundantur, manente mensura, uiperam generabunt: & rursus refracta hominem uirulentum, & ipsa uipera uenenosiorem. Ob hoc igitur pleraque animalia uenenosa etiam uenenatis alunturur. Et uiperæ bufonibus, terra quoque corrupta & uenenatis

nenatis herbis. Et rarò ob id natura hæc tam praua homi-
nibus contingit, quòd etiam rara uenenatis utantur alimen
tis. Indi tamen uiperis & pediculis, quod sordidius est, ac
rubetis uescuntur: non omnes, sed quibusdam in regioni-
bus tantùm. Refert quoque Albertus, puellam se uidisse tri
ennem, quæ cùm libera dimittebatur, accurrebat ad ara-
neas, captasq; auidè deuorabat: tantumq; abfuit ut earum
usu læderetur, ut etiam pinguior fieret. Itaq; nil mirum
est, Numidas tam feros esse, uescuntur enim camelis & stru
thijs assatis. Et in Fessa, Aphricæ urbe maxima, morbosi,
uescuntur enim ferculis ex farina & fructibus ter in die.
Degenerant autem moribus celerius quàm corpore, quo-
niam mores faciliùs mutari possunt: & etiam ab alijs cau-
sis iuuantur, ut sunt consuetudines. Exiguus etiam humor
potest mores perturbare, cùm afficiat spiritus: at in aliam
formam non potest mutare, quin cor mutet. At hoc diffi-
cile est, quin ita excedat, nisi sensim fiat. Ideò in pestilentijs
contingit hoc: sed corpora eorum qui afficiunt, iam & i-
psa ut moriantur, parata sunt. Ergo in omnem naturam
alimenta mutare possunt homines, imò & canes, ut aliâs
de rabiei causis dictum est. Itaque diligenter studendum,
quo quis alimento utatur. Qui ergo ferarum carnibus a-
luntur & aromatibus, omnes feri & truculenti euadunt:
qui oleribus, contrà. Effectus uerò ex consequentibus per-
spicere licet, uelut cùm essemus Basileæ iam biennio, pestis
eos solos afflixerat qui essent Heluetij: adeò ut eo toto tem-
pore uix unus aut alter (dictu mirum) Gallus, aut Italus
obierit: uelut cùm pestis pecudes affligit, homines non: &
homines sic, equos autem & canes non. Manifestum est
igitur homines inter se paulò minus differre, quàm ab il-
lis bruta animalia: quòd mensuris elementorum non secus

Pestis cur cõtagio efficiat & occidat.

Pestis quædã mira in Heluetijs.

quàm

quàm ab illis, inter se differant: licet omnes æquè confractis uiribus, aut proximè constent. Haud dubium igitur esse debet, quin serpentes plantis, homines serpentibus, uenenum magis exitiale & præsens afferant. Pestis tamen non adeò celeriter quandoq; occidit, ut serpentium quidam: quòd pestis, tantùm uaporem afferat: serpens, ueneni substantiam, ac uulnus. Nec scio, morbum magis celerem mortem afferentem peste, uno solo attonito excepto, qui præter cæteros suprà connumeratos, & ipse solùm hominem uexat. Sed sunt etiam pestis genera, quæ non minus ictu oculi homines occidunt, quàm morbus attonitus.

Homo cur uolare nequeat.

Cùm igitur ad omnia habilis uideretur humana natura hoc solùm ei repugnat, ne uolare possit. Id cõtingit, quoniã non à temperamento hoc pendet, sed à forma. Adeò uerò hoc naturæ nostræ repugnat, ut ne per fabulã ausi sint somniare, ut de Thyaneo plurima confingunt. At certum est, nihil illi esse difficilius propter molem.

Barba cana uel candẽs quid significet.

Cur uerò cùm totus sit glaber, barbam habeat & densam & oblongam? Quid aliud quàm extremæ eius calidita tis indicium? Nõ quidẽ totius, sed genitaliũ. Indicio, quòd neq; pueris, nec mulieribus, nec eunuchis barba oritur, nec alibi quã in mento. Eunuchis orta seruatur, non tamen (ut dixi) oritur. Quibus ergo decidit, corruptionis circa genitalia est argumentum: ut in Indico morbo. Si uerò cadant & capilli, tabem & uniuersi corporis malũ habitum. Si uerò capilli soli, siccitatem cerebri & ab initio, ob id sensuum perspicuitatem. Eadem ratione si barba sola canescit, imbecillitatem genitalium, & impotentiam ad uenerem significat. Sicut si solã capilli canescant, curas & cerebri imbecillitatem ac timores. Velut si utrinq; canicies contingat, senilem habitum & totius corporis refrigerationem.

Viden-

Videntur autem omnia quæ ipsi homini contingunt, hominis ipsius esse, non autem corporis aut animi. Dolet corpus: non equidem, sed totus homo. Tristatur animus? non per fidem meam, sed homo ipse. Ita & intelligit. Dico autem de his affectibus, quæ cum cognitione fiunt. Nam de alijs, siue sit ita, seu non, parum nobis esse curæ debet. Itaq; cùm totus homo semper afficiatur, modò tamen initium à corpore trahitur, ut in dolore: modò ab anima, ut in tristitia et timore: modò ab utroq;, ut in somno ac uigilia. Quærendũ est igitur, postquã unus omnia esse uidetur, sapientissimus, stultissimus, optimus, pessimus, robustissimus, imbecillissimus, felicissimus, atque infelicissimus. An omnia hæc adsint, aut nihil horũ. Nam aliquod horum adesse, aliquod non, iustũ non sit. Neq; uerò plures his quatuor differentijs esse possunt. Ad animi enim substantiã & mentem, pertinet sapientia & stultitia. Ad qualitatem, probitas & improbitas. Ad probitatẽ, omnes uirtutes: ad improbitatẽ, omnia uitia referuntur. Corporis autem qualitas ad robur & imbecillitatem, ad quas sanitas & morbus, perspicacitas sensuum & obtusio referuntur. Forma autem, alienum bonum est, non proprium. Felicitas & infelicitas, omnia quæ fortunæ subiacent amplectuntur. Quòd uerò maximum est in his omnibus, an efficax, an quasi somniũ? cùm enim ad res præsentes spectio atq; futuras, spes, metus, actionesq;, egregiũ aliquid uidetur esse humana uita: cùm uerò ad præterita, lõgaq; obliuia, non somniũ, nõ umbra, (hæc enim aliquid esse uidentur) sed somniũ umbræ potius apparet. Nuper inspiciebã duos improbos, qui ducebantur ad mortem (ferre autem illam uidebãtur fortiter) sub ipso mortis tempore, de more, quædam in aures sacerdotũ garrientes, quæ forsan illi magna existimabãt; ac spectatoribus fabula uidebatur.

debatur. Omitto nunc diuina (nam hæc in Dei sunt æstimatione quanti sint) de humanis loquor. Quod ergo illis magnũ aliquid uidebatur, nobis instantis tẽporis cõtemplatione, nihil prorsus uidebatur: imò tale quippiã erat. Cætera ergo mortaliũ paulò maiuscula etiam talia erunt, quamuis falsi specie decipiamur. Et quod omninò propter recentem memoriam aliquid esse creditur, successu tẽporis manifestè ad interitũ etiam imaginis peruenit. Nihil uerò cũm ex re ipsa pereat, statim ut non est, tanquam nunquã fuisset, æstimãda erit. Sæuissima est omnis publica mors, si quid aliud, ob quinq; causas. Prima, quòd diu meditatione miseros affligit, ut una dies anni centũ uideãtur mœroris: centiesq; ac millies prius moriatur, q̃ moriatur. Inde refer carceris sordẽ, uincula, & miseriã, & tormẽta, si accedãt. Deinde pudorẽ cũ ducitur, et anteactæ uitæ recordationẽ. Accedit, quòd integer & sanus moritur. Vltimò, recordatio infamiæ, quæ manat ad posteros, ut nullus nisi inimicus suis, uelit illius recordari. Atq; hæc, si mors etiã absq; cruciatu sit, omnibus aduenĩũt. Quibus uerò etiam mors crudelior aduenit, his tanto difficilior fit exitus. Ergo hæc, & filiorum mors, quod à perpetuitatis spe nos subtrahat, maxima malorum sunt in humanis. Et tamen utraq; multi sine philosophia æquo animo tulerunt. Sed audi quo modo.

Mors publica ob quinque causas sæuissima.

Est quidam humor in nobis, quem atram bilem uocamus, qui cũm sæuit, & supremã cerebri arcẽ occupat, mentem è statu deijcit. Hunc dæmonem appellant multi: hic facit audere maxima, & ad flagitia impellit. Adeò ut plerique ex his qui talia perpetrãt, furore rapti, ad hæc perpetranda ducantur. Idem humor ad tolerandam mortem & cruciatus, mirum in modum iuuat. Vnde plures ex his non tam digni morte sunt, quàm quis existimat. Principes tamen acriter

Causæ patientiæ in tormentis, & patrandi maxima scelera.

acriter puniunt, ob propriam securitatē, ut in exemplū res transeat. Sed falluntur, quoniā qui moderati sunt, à multis flagitijs certè arcentur: sed hi nihil supra uires cogitant. Qui uerò hoc furore agitantur, non plus his supplicijs commouentur, quàm si nihil illos pati uiderent. Quimimò furore exacerbato plus irritantur. Ob hoc igitur apud multos populos ubi leuiora sunt supplicia, nihil adeò immane admittitur. Et ubi grauiora supplicia, immania etiam scelera magis perpetrātur. Videtur igitur utilius, sontes diuturno carcere macerare (tēpore enim humor dissipatur, & agnosci reus culpam, atq; pœnam) quā sæuo mortis genere eos interficere. Sed ad philosophiam reuertor. Hincinde igitur constitutis terminis humanæ conditionis, supplicio publico, & summa fœlicitate (quæ qualis sit, nunc dicā) quæritur meritò, an intersit aliquid, postquā fueris, & iam nō sis, qualis fueris. Nam si sis, aut per animi immortalitatem nemo dubitat: quamuis sint uariæ de hoc opiniones, quæ in libris de Consolatione, sunt recitatæ. Ex Virgilij enim sententia uidetur præstare memoria malorum, ut ibi:

O' passi grauiora, dabit Deus his quoq; finem,
Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

At Ausonius aliter: Sparge mero cineres, & odore perlue nardo. Et reliqua quæ sequuntur. Sed nos non de memoria rei quærimus, sed de re ipsa. Est autem quæstio nobilissima & tota naturalis, quæ ad fœlicitatem quæ ex animi immortalitate habetur, etiam plurimum conducit. Nec scio an ut in alijs arduis quæstionibus explicandis, eadem lux me comitabitur. Sed tentabimus difficillimam quæstionum sic: supponentes quòd nostra uita talis sit, qualis aquilæ, quæ fœlicissima est inter animalia ratione carentia, aut leporis, quæ miserrima. Beatus Paulus dicit

Vtrum præstet, quum non sis, fuisse fœlicē?

deteriorem esse conditionem nostram brutorum animaliũ, si nihil à morte superest. Igitur si fœlicitas præterita aliquid faceret ad beatitatem, cùm palàm sit hominem esse feliciorem belluis, præstaret fuisse hominem quàm belluam. Sed Paulus non de omnibus hominibus, uerùm de seipso & sibi similibus, qui miserrimã uitam ducebant ob persecutiones, sermonẽ habet. Quare argumentũ concludit oppositum. Aristoteles quoque dum in tertio Ethicorum agit de fortitudine, censet uirum fortem se debere sponte exponere morti. Quid igitur iuuaret, si fuisse fœlicem nihil prodest? Nam quòd in eo actu tantum uoluptatis ob excellentiam uirtutis capiat, quantã etiam si superuiueret centum annis non esset accepturus, non satisfacit, cùm moriens protinus nihilo sit fœlicior. Quòd si dicas, moriendũ fore, quia uita turpis ob fugam esset deterior? Respondeo, nos supponere nullam esse talem necessitatem, ut in Horatio, Coclite, & in Curtio: nã de his, seu similibus Aristoteles loquitur. Forsan dices, fortem morti se exponere, quia si superuixerit, uitam aget fœlicem, ob gloriam & honores ei delatos: si morietur, nihilo est alijs infœlicior. Igitur adhuc hæremus in uado, cùm nec una, nec altera autoritas rem hãc decernat, soluat'q; dubitationẽ. Rursus ergo repetentes quæstionem, quæ non solùm ad fœlicitatem, sed etiam ad uirtutem, ad gloriam'q; pertinet: ut in his & filij, & familia, & literarũ monumẽta comprehendãtur: quanquã ardua nimis sit hæc dubitatio & uiribus meis impar, aggredi tamen decet. Si igitur à morte quispiã alio non est beatior, nec iuuat fuisse, quid esse prodest? Etsi omninò anima superest, magna pars miseriæ est recordatio amissæ, etiam præteritæ fœlicitatis. Quòd si nihil interest fuisse fœlicem, cur fœlicitas tam anxiè quæritur? Et eo magis memoria post mortẽ apud homi-

nes,

nes, quasi ea uitæ pars sit? An nõ præstat fuisse Læliũ, Publicolam, Catonẽ, Antoniũ, Crassum, Ciceronẽ, Gracchũ, Porcinnã, Galbam, Hortensiũ, Q. Metellum, deniq; Pompeiũ, Cæsarem, Varronem, uirosq; illos fœlicissimos, aut semper, aut maiore ex parte, q̃ mendicantem? Videtur sanè ita esse: sed nondum ex his liquet quomodo? & an semper? uelut ab obitu subitò quidam existimantur esse fœlices, non tam diu pòst: sed uelut notæ ac picturæ obliterantur paulatim temporis diuturnitate: sic memoria ipsa fœlix: an non memoria, sed ipsum fuisse? Hoc autem semper. Semper enim fuit, quod aliquando fuit. Vnũ certum esse uidetur, nihil ad fœlicitatem magis conducere uita Epicurea, quæ cum fortitudine & mortis contemptu coniuncta est. Edere, bibere, ludere, nihil de morte & successibus rerum cogitare, commodis humanis cõsulere. A' morte autem talem fuisse præstat, uelut bucephalo & dormiẽti. Memoria enim lætior, & pars in toto superest, præcipuè in homine. Intellectus enim manet, atq; est. Sunt etiam filij partes parentũ, & ideo, & fratres, & familia, & affines, & germina. Filiorum autem casus & fœlicitates, in parentes redundare uidentur, quare & cæterorum affinium. Neq; enim tam miserabile esset aut iucundum, mori in orbitate, uel florenti sobole, nisi in filijs pars patris esset. Auulsum igitur germen lætatur & affligitur. Quocirca cùm semper maneat, etiam à fato fuisse fœlicem & gloria dignum præstat. Indicio est appetitus naturalis in belluis etiam, ut pro filijs se morti exponant, & gloriæ nonnunquã cupidæ sint. Naturale igitur desideriũ cùm frustrari nequeat, oportet aliquid esse quod fueris. Illud etiam facit, quod qui fuit, nõ amplius futurus est: quasi fuisse aliquid etiam sit, cùm non sis. Ideo & illud cessat, quòd eius quod amplius non est, nihilq; sit, neq; bonum sit

aliquod, neque malum: est enim aliquid in coniunctis. Nec obscura est hæc participatio in plantis & uilibus animalibus, quasi omnia unum sint: in hominibus autem, quamuis obscurior sit, ob perfectionē est tamen. Videtur etiam aliquid esse benignius, quandoquidē semel tantū fueris, fœlicem fuisse, & illustrem potius quàm abiectū & infœlicē: & hominē, melius quàm scarabeum. Propter hæc omnia, etiā fœlicē fuisse præstat, si nihil superesset. Inde illa facta fortissimorum regum, præcipuè Alexandri Magni, Cæsaris, & aliorū. At nunc (ut dictū est) intellectus manet. Multipliciter igitur beatū fuisse iuuat. Et cū nō sis, quod esse possis, uelle quod esse possis, tāquam summū bonum: hoc autē lex præstat. Quadrupliciter igitur fœlices simus: fide firma futuri seculi, sobole firma, beata uita, atq; gloria rerū gestarū aut sapientiæ: hæc autem bifariam nos fœlices reddit, & memoria apud homines, & conscientia cognitionis. Videtur autem & hoc naturalis affectus indicare: nam quilibet optat se potius fuisse Atticum, quàm seruum, qui in crucem actus fuerit. Nemo autem optat magis fuisse bucephalum, quàm leporem. Vt non solùm fuisse felicem, etiā cùm non sis, præstare constet: sed & in cognitione, rationeq; fœlicitatem esse constitutam.

Est autem & his qui uitam beatam agere student, istud necessarium scitu, quod diximus: scilicet, præstare uitam, & præteritas actiones bonas fuisse. Nam si nihil omninò sit discriminis, uoluptati opera danda esset. Hoc enim tantū habemus, quo fruimur. At uerò est: ideo uirtutis opera exercenda. Virtutis enim opus, postquā peractum est, affert uoluptatē animi: corporis autē uoluptas, tristitiā. Ergo ex his satis constat, hanc nostrā uitam nihil habere cōmune cū superiorū uita. Illa enim semper est, & efficax; hæc ineffi-

cax,

cax, & umbræ somniũ. Quãobrẽ et fœlicitas nostra, eodẽ modo nihil est propè. Constat autẽ fœlicitas primò quidem iuuenta, & sanitate firma, cum decore corporis. Circa autẽ fortunæ bona, ne sit pauper: sed neq; ualde diues: nam domus & diuitiæ, ad metã hominis esse debent. Si quidem diuitiæ multæ sunt, ut trirernis magna cũ paucis epibatis, si enim non custodiãtur, pereunt: & homo desidis & stulti nomen subit. Si autem custodiã adhibeas, quis custodiet ipsos custodes? uillicus, medicus, dispensator, cocus, mercator, aduocatus, ancillæ, omnes furantur. Itaque nulla est maior pœna, quàm uelle seruare, quod seruari uix potest. Hoc autem, sunt opes magnæ. Præterea cùm ægrotas, nullus peius se habet quàm diues. Medici proferunt morbum: hæres insidiatur: & sub ridentis persona, mortẽ tibi optat si optimus sit: si malus, etiam accelerat. Nec filij prædiuitis, modò magni sint, uolunt quicquã melius patri cæteris hæredib. Sint filij parui, tunc maximè sollicitus est pater, quomodo si moriatur illos tutos possit relinquere. Ergo diues sit, sed non admodũ: uerũ pro familiæ qualitate. In regione felici, sub Rege potente, aut constanti republica, cũ antiqua supellectile atque domo parata. Amicos habeat paucos & bonos, ipse uerò nulla respersus infamia. Sciens quæ ad delicias pertinent. Nihil autẽ cogitans, nisi præsens: ac etiã circa illud sola minuta, quibus in dies utatur. In his ergo solis eluescit quædã beatitudo humana per tẽpus, maior aliquanto indolentia Epicureorũ. Quæ tanto diutiùs protrahitur, quo hominis uita meliùs fuerit instituta atq; fortunata. Fœlicitas quibus constet.

Est & aliud genus fœlicitatis adulterinæ, uelut scabiei prurientis, & uindictam quærentis, & amantis, quod in diuitiarum acquisitione constat: cùm enim aliquid uehementiùs appetunt, illudq; possident, beati sibi uidentur, Fœlicitas adulterina.

cùm tamen sint miserrimi: in labore, ubi uoluptas abest, & opere non secundum uirtutẽ: cùm omnes fateantur, felicitatem humanam in alterutro horum esse constitutam.

Scelus quid.

Scelus uerò est mali ingentis perpetratio, propter spem futuri boni. Si uerò absq; spe, amentia est. Vtriq; qui magna perpetrant mala, atra bile aguntur, quamobrem & furere uidẽtur, & quæ faciunt, parati sunt pati. In stultis quidem & hæreticis, hoc perspicuum est: at in sceleratis nouo quidem, sed inusitato exemplo nuper apparuit. Quidam enim cùm principem nostrũ Gonzagã prodere uellet, & hostiũ in manus tradere: ubi caperetur: multis se confodit uulneribus: sed diligentia militũ seruatus ne occideretur, impetrauit ab ijs, cùm ad principem equo insidens duceretur, ut quod frigeret, palliũ uultui obducerent. Quo facto, dentibus linguã præcidens, sanguinis copia mortem asciuit: sibi non solùm moriendo cauens, ne proderet complices, sed etiam si nolens superfuisset. Non est ergo ut tantùm de morte ultrò appetenda glorientur antiqui, cùm & nostra ætas sæua miracula & maiora referat. Is igitur scelestus fuit, qui spe præmij aggressus est tantum scelus. Ferus & inhumanus cogitatione flagitij: inde in se impius manu, nec minus meditatione facinoris, demum perpetratione: ut nulla sit immanior bellua. Sed qui absq; spe bona, ista audent, nõ iam scelerati, sed amentes solùm ac stulti sunt: cùm alij, amentes & scelerati. Quamobrem hi quidem graui pœna digni sunt: illi, ad summum simplici morte. Nec hac quidem ob facinus, sed ne alios lædant, aut eausam præbeant simulata stultitia, facinora perpetrandi. Atque hæc de hominis affectibus, quæ ex anima ortum habent.

Historia mira.

Melancholiæ opera mirabilia.

Ex corpore uerò initium ducunt, ab humore quodam qui fex est sanguinis: atq; hic eadem fouet ex quibus etiam

oritur,

oritur, metus, cogitationes, superstitiones, ieiunia, labores: ex omnibus autem his etiã oritur. Sed idem præter hæc facit tolerantiam cruciatuũ, & futura præuidere: quod etiam testatur Aristoteles. Sed & dæmones illis uidentur, & illudi ab his se existimant. Sani uiuunt, quoniam humor ille cùm frigidus sit & siccus, omnem putredinem prohibet. Solùm contingunt his quartanæ, & macilenti sunt. Mirũ est quantam habeant in tormentis patientiam, ut supra naturã res uideatur. Quòd si cum hoc auderẽt, essent strenuissimi milites. Sed ut asini, longè plus perferunt uerberum & cruciatus, quam si aduersus lupos depugnarent: ita illi (dictu mirum) animosi sunt ad perferendum mala & iniurias: ad inferendũ autem, timidissimi: nisi atra fuerit bilis, aut melancholia ferueat. Admiratione uerò digna sunt, quæ ex ieiunio per hunc modum cõtingunt. Somnia, superstitio, dæmones, contemptus tormẽtorum, mortis desiderium, solitudo, futurorum diuinatio, obstinata opinio, constantia naturæ aduersus nocentia, ut serpentum ictus, uenena, uigiliæ. Insaniæ enim pars, hominem à tota stultitia redimit. Naturaliter igitur ieiunium & diuturna cogitatio ad mortis contemptum & aduersa perferenda, hominẽ præparant. Quinimò & tales cùm plurimum ab humana natura recedant, odore corporis, feras quibus exponuntur quãuis famelicas, nonnunquã arcent. Sed hoc nec in omnib. nec pluribus, neque semper. Tales etiam plerunq; si non ui pereant, diutissimè uiuunt sibi in eo uitæ genere (ut uidetur) felices. Quibusdã uerò & scientiarũ initia quædã, & linguarum alienarũ notitia, uel sponte, uel etiam exigua adiecta industria accedit. Quicquid autẽ supra hæc est, ex Deo est. Coadiuuantur autẽ & in illis, ita ut neq; ex hoc solo, nec ex illo, sed uelut cùm de Diuinatione loquemur, exponemus. Natura

Modus quo quis euchitur ad potentiam.

enim humana, à corpore afficitur & à legibus & consuetudinibus, & ab eo quod exteriùs aduenit. Quod uerò lege & consuetudine constat, uiolentũ quid habet, & magis motibus agitur, indiget. Res enim humanæ, motu perpetuo crescunt, spõte uerò decidunt, ob alienos motus. Propterea uideas stultos & imperitos optimis præferri: quoniam uulgus motui cedit, ut ligna securi. Imperitum enim est uulgus, & omne insensile cedit uiolentiæ. Vulgi autem opinio, fama est: famæ cedunt potentiores, nihilo uulgo sapientiores, sed in maioribus causis, & habiti fœliciores. Videtur igitur in humanis, plus esse ad ostentationem & infinitum nugarum ac fabularum, diuini autem parum, aut nihil: tot uerba inania, metus, spes, cogitationes atq; facta.

Processus rerum humanarum.

Verùm natura hæc nõ solùm secundum regiones, ut ad mediũ fertur, perficitur: sed & in unoquoq; genere & gente, successu temporũ, quasi melitis mixta. Vt uerò ad summum peruenerit, rursum decidit. Et ob id, filij sapientissimorum ignaui uidentur, quia iam mixtio ad summũ subtilitatis peruenit: igitur infirmi fiunt corpore, atq; ideo etiam anima: nam, ut ostensum est, animæ operationes corpora sequuntur. Cùm igitur sapientes melancholia & tenuitate substantiæ constent, in horum altero degenerant filij, uel in utroq; atq; primum ad animam, secundùm ad corpus refertur. Simili ratione & fortissimorum uirorum, & robustissimorum, & extremorum, in unoquoq; genere, filij ad familiaria degenerant. Alij quidem ad iracundiam, ut Caracalla Seueri, atq; ita in alijs. Aliquid tamẽ faciunt matres. Propterea & si extremi uiri (ut ita dicam) plerunq; sunt steriles, tum e i m propter uitia, tum propter incuriam & naturam: quæ si simili iungitur, steriles efficit: si moderatæ, imbecilles: si contrarijs, fœminas, aut læsa generant.

Maximi uiri cur steriles.

Mutantur

Mutantur uerò etiam faciliùs fœtus & partus, si homines mutantur affectibus: tenera enim illorum substantia. Vnde quidam nascentes in terræmotus momento, semper pauent: alij in tonitru, pauidi & languidi. Hora uerò qua cometæ lucent ardentiores, & quasi rapti uelut amantes. Sed hæc non tam euidentiora, quòd cometæ tempus longius sit, & strepitus ac commotio corporis plus agat, quàm sola uis astri. Nati quoq; interlunij tempore (ut Aristoteles censet) aut non uiuunt, aut debiles sunt: obseruauimus nos, omnes atra bile laborare.

Hora ortus quid faciat.

Mirum uerò, quantum possit regionis diuersitas & uictus: cùm sub Amida ciuitate, quam Persarum rex Sapor oppugnauerat, corpora Persarum & Romanorum ad sepulturam requirerentur, per Descenũ tribunum & scribam animaduersum est Romanos cæterosq; Europæos post quatriduum putrescere, taboq; corrumpi, ut nõ facile qui sint, dignoscantur: cùm contrà Persæ, siccatis corporibus, sine tabo, ut ligna durescunt. Quod ego in cadauere parentis, cùm lapis post uiginti annos inscripto epitaphio reponeretur, animaduerti. Solùm enim labiorum caro, & nasi summitas, & oculi absumpti erant. Indicio igitur, quantum ad corporis salubritatem, aër purior & exercitatio, cũ uictus moderatione, conferat. Vt iam Xenophonti credere possimus, qui panem, nasturtium, et aquã cibum dicat Persarum, aut salem nasturtij uice. Nam si ab obitu nec humor sit qui computrescat, nec solida membra, quantò minus uiuentibus morbi aduenient?

Persarũ cadauera non corrumpuntur.

Simili ratione, beatus Augustinus quendã se agnouisse refert, qui sudaret cùm uellet: nec hoc parum est, sed maius ac rariùs quàm lachrymari: atque hoc maius tamen, quàm tussire, sternutare, crepitum uentris mittere pro arbitrio.

Homines qui sudant cùm uolũt.

Nam

Nam omitto quòd hæc sint frequentia huius rarissimi prodigij, quasi causam tradere operepreciumest. Fit sudor, ut uidemus, à calore: calor autem, à spiritus retentione, ab exercitatione, ab agitatione, à timore, à coitu: itaq; hoc non aliud est dicere, quàm laxam habere cutim, prætenues humores, & animæ ualidiores affectus, quibus diu exercendis assueuerit.

Germanus hauriẽs uinum immoto gutture.

Vidisse dum puer essem, me memini Germanum quendam tribunum militum, qui cum Gallis stipendia merebatur, solitum uinum haurire, immoto gutture. Alij ligatis cruribus ac brachijs, amphoras plurimas sorbẽt, quas perpetuò meiunt. Cuius rei aliâs memini, sed non huius quòd hominem uiderim, qui urceos uitreos, clauos ferreos, aliáq; multa deuorabat modica stipe, inde pæululum contrectatis præcordijs singula reddebat: idem aliquãdo ad octoginta porros magnos crudos comedit. His igitur uentriculus est pro sacculo, & mergos imitantur. Ciuilius qui uoces animaliũ, dicas canem latrare, balare ouem, grunnire porcũ, hinnire equum: plures erunt quàm apud Ouidium, si modò eius sunt illa carmina de Animalium uocibus. Hi à pueris hæc discunt, quòd pulmones & aspera arteria, in quamuis formam effingantur. Sed & spiritus quantitas, & linguæ motus adhibere pro oportunitate conuenit. Firmus, è Romanorum tyrannis unus, Galeni tempore, ob hoc puto nomen adeptus, quòd incude super pectus imposito malleorum ictus perferret. Gratianus uerò pater Valentiniani Imperatoris, Funarius dictus, quòd quinq; milites funem ab adolescente, ui, nunquam è manibus extorquere ualuissent. Alius, in uenerem flagris cæsus, accendebatur. Philinus, Theophrasto teste, solo lacte tota uita usus est. Ratus credo forsan, se diuturniorem futurum. Alios uerò solis ficubus, &

Homines qui uentriculo, p sacculo utuntur.

Robotis mira exempla.

Homines cibis unicis utẽtes.

bus, & aqua alioquin robustos & incolumes, sed quibus sudor admodum malè oleret.

Nec solùm mira quædam in natura, hominibus contingere solent, sed etiam circa mores ac casus: quibusdã enim morb. corporis, animi salutem attulit: uelut Ptolemæo secundo, qui dum ualeret, occidit fratrem Argeum, Magam alterum fratrem bello lacessiuit: Arsinoem sororem, atque uxorem ductam, in exilium egit: eius filijs, ex altero tamen priore coniuge genitis, occisis: unde meritò per antiphrasim Philadelphus uocatus. Vbi morbo diuturno oppressus est, totum se studijs dedit: doctorem habuit Stratonem Lampsacenum, studiorum autem hortatorem Demetrium Phalereum, unde bibliothecam illam postea tam insignem instituit: cui quicquid ex antiquioribus codicibus habemus, præsertim Hippocratis, debemus. Sacros codices per Septuaginta interpretes in Græcam linguam uerti iussit. Ducenta millia Iudæorum libertate donauit. Theophrastum ad se accersiuit: in omnes eruditos mirum in modum beneficus. Eadem fortuna idem exemplum in Hierone Syracusanorũ tyranno, qui ante morbum nihilo mitior, nihilo cordatior, Gelone fratre fuit: pòst uerò ad studia Musarum, artiumq; contulit, ut simul animũ instruxerit, moresq; in melius mutauerit. Rarò enim fit, ut natura uel in utroq; peccet, uel in utroq; præstet, scilicet anima ac corpore. Robur enim immensum, plerumq; stultam de se confidentiam præstat: & ferinos mores, immodica sapientia ac morum integritas, imbecillibus uiribus sociari solet. Sed hæc rationi consona: illud magis mirum quod Rhodiginus scribit, Damocratem Palæsten morbo pedum certaminibus sacris ita se dedisse, ut deducta circa se linea, iuberet aduersarios si possent, illum loco submouerent: quod cùm non possent, abijt è certamine

Homines ex morbis meliores facti.

Homines rarò anima, & corpore præstant.

Damocrates è podagroso, athleta strenuus factus.

tamine sacro coronatus. Videtur enim humana natura, cũ uelit, plurimũ posse: adeò ut fermè in contrariũ affectum se transferat. Quibusdã etiã casus quasi naturã æmulari uisus est, uelut in Catone Censorino, qui quadragies quater accusatus, toties causam pro se dixit, totiesq; est absolutus. Sæpius Aristophon Athenis, Aeschine teste, nam gloriabatur nonagesies quinquies accusatus & absolutus. Nec mirum, illũ magnitudo administrationis, & humilitas natalium exposuit accusationibus: hunc uerò Græca leuitas, cũm uterq; ut bonus esset niteretur, iam malo seculo. Quocirca id me monet, quod ad aliam tamen pertinet tractationem, sed ob utilitatẽ ingentem non prætereundũ, ut adijciã. Scilicet probum uirum quærere debere magistratus temporibus bonis, ut plurib. & plurimum prosit. Temporibus autem malis, & tyrannicas potestates quærere non debet: oblatas recipere debet: ut minus obsit, mitiusq; agat, etiam in re pessima: quando quidem si ipse non recipiat, alter eò deterior sit recepturus. Caueat tamen, ne authoritatem loco det, aut tyrannidi fulcimenta præbeat. Priuatus autem, non se opponat improbis magistratibus, nec priuatorum uelit corrigere peccata. Nam si hoc ex uniuersi bono esset, atque Deo gratum, occasionem dedisset, ut iure id facere cum potestate posset. At ubi in magistratu sis, pro iustitia & aduersus improbos usq; ad mortem depugnandum est.

Hominem sæpius accusati & absoluti, & cur.

Hominis probi officium.

Illud uerò quæstione dignum est, animi affectus, corporeis sint potentiores? Dico autem dolorem, & uoluptatem, ad quos omnes alij reducantur. Videntur autẽ corporei magis afficere præsentes, quoniam præter affectum etiam corpus mutant, & maximè dolor. Multi enim post dolores maximos, claudi aut cæci, multò plures autem debiles euasere. At mentis affectus bifariàm maiores esse uidentur, &

Animi an corporis affectus plus nos moueant.

tur, & quod in parte principaliore, & quod pro præsenti tempore non solùm, sed etiam pro præterito & futuro nos afficiat. At præteritum longè maius est præsenti, futurũ autem cum termino non comprehendatur, imaginem habet infiniti. Si quis enim articulorum doloribus torqueatur, ubi resederint, statim quiescit omne malum: nec corpus imaginem morbi sibi in posterum fingit. At si quis fratrem aut dignitatem amittat, recordatur præteritæ uoluptatis, & in futurum quod cariturus sit, perpetuò discruciatur, imminente diuturno malo quasi toto præsente. Ergo longè maiores sunt uoluptates & dolores animi, quàm corporis. Et eò magis, quod (ut docuimus) hi ab animi uiribus possunt cohiberi, animi aũt à corpore nequaquã. Verũm dices, dubiũ uidetur, quia præterita felicitas, eiusq; memoria apud Epicureos in præsenti uoluptate collocatur: miseria in dolore. At communiter contrarium credi solet: & iuxta poëtam,

Præteritę felicitatis memoria an iucunda.

O' passi grauiora, dabit Deus his quoq; finem.

Et paulò pòst. Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Dupliciter illos solatur, & à memoria maiorũ calamitatũ præteritarũ, & à futura præsentiũ, ut iucundũ sit, meminisse malorũ, quæ præterierint. Videtur igitur & in hoc, & in præcedenti quæsito quandoq; distinguendũ: nã uelut animi affectus maiores sunt (ut docuimus) q̃ corporis, quidã tamen tam stupido sunt ingenio & molli corpore atq; deliciis ac luxu obruti, ut in his plus corpus possit quàm animus: ut in Scythis Thracibus, ob ingenij stupiditatem, & in Indis Seris ob luxum. Ita memoria calamitatũ, ubi aliquid habeat coniunctũ uoluptatis, ut lustrationem regionũ, aut uirtutis, ut in naufragio, bello, fuga è carcere, iucunda est, secus autem tristis. Ita è diuerso memoria uoluptatum, ubi uel uirtute partæ sint, aut aliquod earum uestigium maneat,

neat, uel sint continuatæ usq; ad præsens, uel cum alijs uoluptatibus, aut non finitæ nostra culpa, inter iucundos affectus numerari debet. Quòd si (hoc autē solùm superest) calamitates continuatæ sint ad præsens tempus usq;, sed tamē genera illarū, uirtute nostra finē fuerint consecuta: erit earum memoria mixta ex dolore atq; uoluptate: atque hæc de finibus euentuū. Aduentus uerò ipsius memoria semper est similis naturæ rei. Nam seu felicitas fortuna cōtigerit, gaudemus: seu industria, duplicata uoluptas erit. Ita si calamitas sponte sua euenerit, solemus sortem nostram dolere ac deplorare: si nostra culpa, duplex erit malum. Ita uerò (ut dixi) in quibusdam lætioribus natura & usu sapiētioribus, memoria calamitatum, etiam magnum commodum affert ad bene, beateq; uiuendum. Sicut contraria ratione, stultis & tristibus onerosa est recordatio præteritarum felicitatum, quæ iure meritò grata esse deberet. Epicurus igitur, qui angustam uiam, & inopem habuerat supellectilem felicitatis humanæ constituendæ, ut qui deorum affinitatem, eruditionem, uirtutem, atq; honestum sustulerit: quasi coactus est in tanta penuria materiæ, cum præsens uoluptas breuissima esset, futura incerta, felicitatis suæ maximā partem in memoria præteritæ uoluptatis collocare.

Infelicitas triplex. Infelices autem prorsus uitijs, aut casu, aut natura. Natura maximè, quorum corpora ab animis discordant, uelut animus egregius in infirmo corpore, qui seipsum arrodit: & corpus ualidum atque pulchrum cum animo uili, quod spernitur & contumelijs afficitur: decorū enim putant multi, his qui specie insigni sunt, iniuriam inferre, ut fortiores uideantur. Vt species digna non omnino optanda sit, neque utilis, si non eidem etiā fortitudo adiungatur: & quanto robur maius, eo infelicior sit conditio. Nunc quidem de sanis

corporibus

corporibus loquimur, quanquam & in ægris tolerantia fortis animi uix tantùm conferat, quantum obest dolor, quem suscipit, recordatione impeditæ uirtutis animi.

Ex his autem quæ dicta sunt, quæstionis solutio oritur: scilicet, an pygmei esse possint? Multum autem refert, credere esse Pygmeos, & pumiliones aliquos esse: nam de his satis constat, & nos in libris de Subtilitate, mentionem unius egregij fecimus: nam reliquorum membra crassiora sunt, quàm ut magnitudini tam exiguæ respondeant: at hic membra ad symmetriam facta habuit. Non tamen pygmeus erat: nam gentem, non casum, refert Pygmeus, & quæ octo solùm annis uiuat. Quidam ergo homines, iuxta Aristotelis sententiam, esse putant: at hominis uita tam breuis, in una gente esse potest. Garamantum genus, quamuis innumeris afficiatur incommodis, atq; maximis, quadraginta annorum spacio (quod fermè minimùm esse existimo uni genti) uiuit. Si igitur Pygmei octo solùm annis uiuerent, necesse esset aliquas gentes illis proximas uiginti, aut triginta annis etiam uiuere: quod tamen neque ipse Aristoteles affirmat. Præterea si tam parùm uiuerent, parùm etiam in utero matris essent: quoniam gestationis uteri tempora, & uitæ sibi necessariò respondent. Et quanquam uitulus in utero nouem menses, ut infans, impleat, uiuit tamen uitulus usque ad quindecim annos: quamuis ob labores, multi boues ac uaccæ, aliaq; incommoda, decimum annum non excedant. Indicio est, quod ob incommoda, quoniam (ut superiùs diximus) bos uigesimum implet annum. Sed & alia est ratio, cur tam breue uitæ tempus, tam longæ conformationi non conueniat in homine: possit tamen in belluis admitti: nam si longa gestatio uteri sit, uita uerò tam breuis, genus necessariò breui peribit: quoniam tertiam partem

Pygmei an sint.

Lib. 11. iuxta finem.

saltem senectæ tribuere oportet, sextam ephebiæ, relinquentur quatuor anni tantùm generationi utiles. In hominibus autem uides, cùm sit animal rationis compos, quot impedimenta contingant ob leges & consuetudines: & ob mentis affectus, quot sint impotentes: quare necessarium esset, ut plures uno, uelut catuli & sues, gignerentur. at hoc in nullo animali longæ gestationis uisum est, quare necesse est hoc esse fabulosum, quod fertur. Qui uerò dixerunt, nõ hominum hoc esse genus, sed quippiam medium, quod neq; regatur, nec habeat rempublicam, loquitur tamen & imperfectè, ut inter belluas, & homines moribus, & ratione sint constituti, uelut & de Satyris antiquitas fabulatur: hi maiore reprehẽsione digni sunt. Existimant enim hoc, quoniam hominem pluribus principijs à belluis differre credunt, uelut differt pluribus potẽtijs, membris, facultatibus, atq; operationibus. Homo autem nõ ita à bellua differt: sed hoc uno quod est ratio. Est autem ratio, ut ex uno aliud inferre ualeat, quæ sæpiùs (ut aliùs dixi) geminata, ut in numeris, in mundi constitutione, tot rerum uarietates, tot ornamenta affert: sicut in hypericonis herba pro exemplo uidemus. necesse est igitur, animal habere, aut non habere hoc: neq; inter ista mediũ potest inueniri: quod habet homo est, quod non habet bellua. Si dicas imperfectã habere, hoc esse nequit: quoniã, ut in Arcanis demonstratum est, omnis forma perfecta est, & suæ operationis propriæ potens. Si obijcias, animalia quædã quosdam habere sensus hebetes, ut pisces uisum: non forma hebes est, sed instrumentum cuius indicio est, quod & inter ipsa quædam præstant alijs, quoniam instrumentum habent præstantiùs: at si forma ipsa & anima circumscriptã haberet facultatem, uel sub optimo instrumento melior fieri non posset. At si dicas, tales esse

esse Pygmeos, hominum comparatione, atq; rationis ipsius, quales sunt pisces uisus habita ratione, in comparatione ad aues, ad quadrupeda: nihilo secius fatearis, oportet Pygmeos perfectos esse homines, quoniam eorum forma perfecta est. non autem medios inter belluas, & homines. Apparet ergo Pygmeorum historiam esse fabulosam, quod & Strabo sentit, & nostra ætas, cùm omnia nunc fermè orbis mirabilia innotuerint, declarat. Sed quod tantum philosophum decepit, fuit Homeri autoritas non apud illũ leuis: & uulgaris quædã fama, è felium quodã genere solertissimo, cuius antea meminimus, imò potiùs simiarum orta. Et forsan, quòd existimauerint utrumq; extremum, pari ratione atq; necessitate in naturalibus habendum esse. Cùm igitur dentur gigantes, dabuntur & Pygmei: quod & uerum est. nam si pro gigantibus extremã magnitudinem intelligas, sunt Pygmei plures, quàm gigantes: sed pro miraculo, non pro gente: sin aũt gigantes pro gente procera accipias: sunt & gentes pusilla statura: sed nõ adeò parua, nec breuis adeò uitæ, nec quæ cũ gruibus pugnent. Quòd & si essent homines, non possent esse destituti proprio hominis fine, qui est contemplatio: nam tam breui uiuentes, ad summam perfectionem peruenire non possent, naturæ impotentia, non casu: quandoquidem summa perfectio omnium scientiarum cognitionem præsupponit, quæ plus exigit temporis, quàm illis superest à pueritia, ab actibus uitæ, aliisq; impedimentis. Nam si homines sunt, oportet & affectus ciuiles habere, & uitæ rationem, & nouem mensibus in utero manere, ut tam uaria machina, & tam exactum temperamentum naturæ absoluatur, ut instrumentum esse possit animæ nostræ. Eædem quoq; partes sunt in magno & paruo.

Hominum quoq; cadaueribus, quædam dictu mira inesse ui.

Cadauera humanorũ propria.

se uidentur: suspensi, ad solem conuerti dicuntur, aut forsan id contingit, quoniam propter obliquitatem quocunq; facies respicere uidetur, aut quoniam solis calor humidum ad se trahat. Eiusmodi de plantis alibi narrata sunt. At pilos barbæ, tum capillos, & ungues crescere deprehensum est etiam ultra annum. Synæsius enim narrat, corpora Aegyptiorum deradi solita, ut conderentur. Causa igitur est, uel cutis contractio, uelut etiam in unguibus: uel quia etiam hæc à calore præter naturam contingere solent. Referunt, beato Gaudentio cũm sex perpetuis mensibus ab obitu inhumatus mansisset, perpetuò illi ungues, & capillos superauctos.

Aurium sordes.

In sordibus etiam humani corporis, uires sunt haud contemnendæ. Aurium enim puncturis impositæ dolores sedãt: & urinæ spumam palea circumactæ dissoluunt. Et stercus, & urina, & quæ in balneo colliguntur, & saliua omnia egregias habent uires: de quibus in Medicamentorum historia tractatum est.

Nutrices multùm afferunt infantibus, non solùm circa temperiem, sed etiam mores. Vnde sapienter seu finxerint, seu uera narrauerint, ueteres dixerunt, Romulum à lupa lactatum: fuit enim ferinis moribus, astutus, fortissimus, & omnis incommodi patientissimus. Itaq; qui à capra lactantur, stulti ac salaces euadunt: talis enim est hircus.

Lactatio à capra quid agat.

Mors homini minùs molesta est ex senio, ut Aristoteles inquit: hoc solo deterior, quod antè multa perfert incommoda adeò senex. Proxima, quæ ex uiperæ cuiusdam morsu contingit, cuius meminit Plutarchus. Succedit huic, quæ ex potu meconij: nam dormientes pereunt. Quarta fit potu cicutæ, de qua aliàs, auctore Theophrasto: sed hæc torquet persæpè, ut & meconium: uiperæ autem morsus non adeò cuiq;

Mortis mitis sex genera.

tuiq; in promptu est. Quinta fit dealbatis nuper cubiculi parietibus, accensisq; carbonibus, quum quis dormierit. Interrogaui enim iam deprehensas, ac penè mortuos, qui mihi retulerunt nil sensisse mali. Vltima contingit his, qui in aqua suffocantur. nam quæ ex sanguinis profluuio accidit, iuxta finem laboriosa est, ut Tacitus refert. Quæsitum est sæpiùs etiam, quot filios parere possit mulier, qui superuiuant? Aristoteles refert, mulierem quatuor partibus XX ædidisse, quorum maior pars superuixerit. Idem Paulus libro XLVI Digestorum, dum agit de solutionibus, ad Vrseium Ferocem scribens affirmat: sed non satis explicat Aristotelis mentem, aut forsan plus æquo. Maius est, quod addit: fuisse suis temporibus Romæ mulierem Aegyptiam ex Alexandria urbe, quæ quinq; simul pepererit, & tũ habuerit incolumes. Idem Paulus censait libro V, dum de Iudicijs agit, tantùm tres nasci posse, qui supersint, quod nos aliquando uidimus. Rursus titulo, Si pars hæreditatis petatur, ex Theophrasto dicente, τὸ γὰρ ἅπαξ, ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. tres tantùm ac si possint educari, legem statuit: quod quæ semel aut bis contingunt, leges præterent. Fieri igitur potest, ut plures, quàm tres simul nati uiuant, sed monstrificum est.

Mulier quot possit infantes parere.

Caluescit homo anteriore parte ac media, non occipitio: nec pueri, nec mulieres, nec spadones, nec cæci: castratis, pili sensim decidunt, præter quàm pubis, cilijs, & supercilijs pili non decidunt, quoniam ab ortu congeniti sunt. Qui etiam bifida barba sunt, non adeò caluescunt. Supercilia etiam quibusdam decidunt, barba mulieribus nonnunquam adnascitur, uelut olim in Caria, quod diuinationis signũ erat. Canities uerò in temporibus primò, inde in sinciput, ultimò in occipite: canescunt qui simul dormiunt ce-

Qui caluescant

lerius, ob anhelitum, quum à socio excipiunt. Pili præcisi à radice crescunt, non pennæ, neq; alæ insectorum: perfrigeratis quouis modo, ut senio, tabe, morbo, etiam morte, pili, & ungues crescunt, duriores q; euadunt. Homini cilia sunt in utraq; palpebra, & pili in anteriore parte corporis, cum cæteris animalibus solùm in superiore palpebra cilia sint & pili in dorso magis, quoniam dorsum quadrupedibus iniuriæ, & casibus magis obnoxium est. Sic & cilia magis superiori palpebræ conueniunt, quoniam prona sunt.

Gemelli dinerorũ sexuũ cur deficies.

Fœmina & masculus si simul edantur, rarò superuiuunt ambo, quoniam natura ambobus uix potest satisfacere. Si superuiuant, sunt debiles, utpote à uitiato principio progeniti: nõ quia ante tempus unus, uel pòst alter necessariò orti sint. Nam constat, mares aliquos tardè nasci, & robustos, & fœmellas celeriter. Item causa incrementi in masculis, & absolutionis in utero, est calor: atq; id rectè ab Aristotele dictum: incrementi in fœminis humidum tenuiùs, & ob id celeriùs extenditur.

SENSVS, CAPVT XLI.

Lapis in uesica quo modo dignoscatur.

SENSVS esse, omnibus notum est: quot q; sint, & causam quod totidem sint, in libris de Subtilitate declarauimus. At uerò uires illorum partim sic, partim autem non. Quis enim sensus tactu hebetior in homine. Et tamen lapidem in uesica cathetera deprehendimus. Nam si illum tangamus digitis apprehendentes catheterã, sentimus lapidem non secùs ac si tangeremus. Quomodo, uix dici potest: & tamen licet. Quinimò & quantitatem percipimus, deducentes catheteram. Percipitur & auditu, cuius causam aliàs diximus. Sonus enim transfertur per in-

ane

ane non solũm, sed etiam per solidum. Est autem sensus, potentia quædam in corpore animato cognoscens, certam habens sedem. Quòd uerò potentia quædam solùm sit, nec actu quicquam, indicat id quod homo, si ubi sonus nullus exaudiri posset, educaretur, quid esset auditus, non sciret: & cur nobis essent aures, admiraretur. Potentia uerò quadrifariàm dicitur, aut ut dispositio, aut ut ad aliquid referatur; ipsa tamen est res non sub aliquo genere, aut materia: aut ut præparatio quædam ueluti mollities ad recipiendũ: aut aliquid melius præparatione, ut sensus. Est enim auditus aliquid, & si non audiat: non tamen aliquis sensus, nisi per sentiendi actum. Esse autem aliquid actu sensum præter præparationẽ, indicat id, quod in instrumentis sensuum uidemus: & quoniã sensus certas habet sentiendi proprias rationes, etiam de proprijs obiectis iudicat. Est autem duplex, interior, ac exterior. Differunt, quoniam exterior non conseruat species rerum, ideò non fit absente obiecto: interior conseruat, & ideò fit etiam absente obiecto: imò etiam in somno. Tactus autẽ seruare uidetur imaginẽ calidi ac frigidi, sed non ut sensus, uerùm ut pars sensui iũncta. Videtur & gustus seruare dulcedinẽ & amaritatem: sed nõ in se, uerùm in proxima parte: quoniã sensoriæ qualitates hæ sunt etiam corporum. In uisu autem atq; auditu non seruatur species, sed commune quippiam, ut fulgor in oculo, & stridor in aure. Cùm igitur in aliquibus constructio fuerit, quæ reseruet, hoc autẽ contingit natura omnẽ potestatem, ut solet, implente (uelut aliàs dictũ est de Engastrimythis) fit etiam sensus absente obiecto. Manifestum est autẽ, quòd non in omnibus, neq; semper, nec eodem modo: sed in quibusdã plus aut minus, & quandoq;. Immutant autem corpora mirum in modum externi, & magis interni, omnium autem

Sensus qd.

Cur aliqui uideãt, aut audiant q& non est præsens.

Cur quidã sola iucũditate uiuant.

maximè mens. Adeò ut quidam sola contemplatione diutiùs uixerint, optimumq; habitum seruauerint. Sanguis quoque in uenis bonus ac purus euadat. Dumq; aliquid speramus reiuuenescimus, & corpora alioquin morbosa, sana degunt. Oportet autem spem esse bonorum, non solùm utilium, sed simpliciter. De fide uerò cùm sit quasi mentis somnus, non aliter afficit nos, quàm etiam corporeus. Corporeus autem nos palàm recreat: itaque & mentis. Mentis enim opus, non sine animi totius agitatione fit, & hæc cùm spirituum motu, unde corpus perturbatur. Deseruntur functiones, uires minuuntur, corpùs & contenta in eo, in alienam qualitatem mutantur. Indicio sunt perturbationes, ut metus, dolor, ac ira. Sed ut res sit manifestior, à corporis dolore initium ducamus, quem constat persæpè integrum exanimare hominem. Inde transeamus ad metum ac tristitiam: pòst ad spem, quæ gaudio & metu constat. Pòst ad contraria transeamus, lætitiam ac fidem, quæ omnibus melior est, ut ostendemus. Sensus uerò interiores omnia hæc faciunt: atq; ob id causa sunt persæpè uitæ ac necis. Sed ut in somno, qui profundus non est, hominem quasi affligit, ita & fides infirma similis est spei. Ita fides cùm spei similis fuerit, corpus exagitat.

Quatuor sensuũ differentiæ.

Sunt uerò sensuum differentiæ quatuor: optimi, qui bona pro bonis, mala pro malis habent: contrarij, mala pro bonis, bona pro malis habent: hiq; pessimi. In horum medio sunt, qui uel utraq; probant, atq; hi optimis proximi: sed ad præcauendum, inutiliores his qui omnia damnant. Secundus & quartus modus, in ægris est, ut primus ac tertius in sanis. Falluntur ergo sensus uel initio proprio, uel natura rei, uel arte. De proprio uitio iam nunc diximus. Natura, ut cùm Solem pedalem existimamus, quod longiùs absit:

atq;

atq; in his duobus generibus, nec utile: nec pulchrum falli. Arte uerò falli, pulchrum quidem artifici, iucundum autem sensibus. Eram iuxta Briaram Galliæ, iter agens per lucum illi proximum: is uerò altiore à dextra loco prominens opaca fronde cœli aspectum prohibebat, cùm uerò (ut dixi) locus esset elatior, pars cœli, quæ humilior fronde nemoris erat, quod candidior uideretur, nec superior pars ob frondes, nec inferior ob terram inspici posset, speciem lacus aut fluminis præbebat. Vt autem id demõstremus, sit pars cœli, q̃ uideri poterat CDE ad perpẽdiculum terræ plano insistens, collis eleuatus BK, ut oculus

Vt lacus uel flumen ubi non sit, uideatur.



sit in A: erit igitur CG breuis in comparatione ad AC, & FD in comparatione ad DA. Igitur oculus existimabit D in F, & C in G, quia CE opaca non est. Angulus etiam CAE, minor est BCE: cùm uerò BC & BE magis extenduntur, magis distant: quamobrem oculo posito in A, CE uidebitur cœlum. Et posito in A lacus, aut flumen, tantò latius, quantò A punctus humilior fuerit. Sed si prospectus à frondibus non auferatur, CE uidebitur cœlum, propter continuitatem cum CH. Ex hoc igitur patet, quomodo sensu decepto, erecta uidentur plana.

Contraria ratione, plana erigi uidẽtur in solida, umbrarum causa: & eò magis si pluteus accedat. Vt in loco, qui templo beati Ioannis Lugduni adiacet: fenestra enim adeò intra murum uidebatur, ut depicta cùm esset, pro uera ha-

Vt picturæ solida uideatur.



beri posset. Sit igitur gratia exempli, solidum B C D F, annexum parieti, eruntq; lineæ A B, & A D inferiores, & magis sinistræ lineis A C, & A E: cùm igitur depinxerimus solidum, ea ratione oculo in A posito uidebitur B C D E, solidum uerum, quoniam non iuxta rationẽ plani, id est, lineas B D, & C E manet. Si ergo plana superficies D E F G adumbretur, D F uidebitur remotior multò E G, quia per umbram totam: igitur E G uidebitur solidi extrema superior linea. Explicatæ igitur sunt duæ rationes in libris de Subtilitate, propositæ: reliquæ enim sunt manifestæ. Similis error in coloribus accidit. Ex Doura, quæ in Britannia est, Icium in Gallia (abest autem millia passuum triginta) conspicitur candore niuis. Primùm quidem ob terræ naturam, quæ (ut dixi) cana est, & alba, ob id, obq; lucem multam, quæ spatij magnitudine intercipitur: demùm quod cùm mare cœruleum sit, cœlum uerò cyaneum, intermedium quicquid fuerit, modò albidius sit, comparatione album existimatur.

Cur remota alba uideantur.

Dubitabit autem aliquis, cur solus unus sapor iucundus, scilicet dulcis? Indicat autem excellentia omnium aliorum ingrata. Multi autem odores iucundi. Tum colores & symphoniæ. Cùm solus sapor, salutis gratia sit, & qualitas, quæ tactu sentitur, iucundum solùm, quod temperatum est illi, dico autem animali, erit. Temperatum autem unum. Cæteri sensus cùm gratia uoluptatis sint, uoluptas autem in uarietate, plura sensibilia iucunda esse conuenit. At cur gustus & uisus multis sensibilium differentijs mixtis inuicem

Cur unus tantũ sapor iucũdus aliorum sensuũ, plures differẽtiæ.

Cur solus odoratus nõ delectatur sensibilibus mixtis.

cem delectantur, sicut & auditus, odoratus autem non? Quoniam hic sensus in nobis ualdè hebes est. Vnde cùm mixti sint odores, mutuò se obtundunt, sensusq; non cognoscit, delectatio autem in cognitione. Neq; solùm qualia sint, quæ sentiuntur, considerare oportet: sed qualiter inuicem conueniant, si socianda sint. Nam moschus, per se optimè olet: cum styrace aut porro, minimè. Absinthium cum rutha, alijs amaris herbis; tum ouis, & caseo, item oliuæ cum sale, optimi sunt saporis: absinthium saccharo, reliquisúe dulcibus mixtum, nauseam mouet: sic absinthium sali benè sociatur, sapæ inutiliter. Causa uidetur esse, quod dulce ad se rapit sensum, ingrediturq; quasi illo aperto amarum, offenditq; uehementiùs. At salsum, & acre, quoniam amaro acutiora sunt, obtundunt uim amari, & hebetant sensum. Dulce etiam cùm in altero sit extremorum, omnes superat sapores, solo amaro excepto. Videtur tamen acre, ut piper magis afficere, sed non ut sapor. Primùm enim dulce non adeò dulce est, ut acre, acre: quoniã in temperamento, uel proximè consistit dulce, acre autem in extremo. Deinde acre corrumpit sensum: unde qui à pipere afficiuntur, nõ saporem, quàm dolorem sentiunt: sicut in acerbo & salso uehementi. Vt uerò sapores sunt, dulcis omnes præter amarum uincit. Acre igitur circa medium consistit, sed causam habet in extremo: dulce uerò causam habet circa medium, ipsum uerò est in extremo. amarum uerò neutro modo circa medium est, ob id ingratum per se omninò: nec ut tale à sensu secundùm naturam se habente, diligi potest.

Amara plura mixta inter se, cur iucũdiora, quàm cum dulcibus.

Dulce cur omnes sapores uincat præter amarum.

MENS.

MENS. CAPVT XLII.

Mens quid sit.

MENS est sempiterna substantia, imago uerarũ rerum à materia secretarum, extrinsecùs homini adueniens. Indiget autem uehiculo, quo corrupto, eius operatio corrumpitur. Ipsa quidem infatigabilis est. sed cum spiritu antea indigeat, lassantur ante extremũ operis meditantes. In ipso autem fine conuersa in seipsam manet. Hoc autẽ extremum exiguo temporis momento perficitur. Estq; hæc perfectio humana. Illius substantia nihil est unum, sed omnia potest. Hoc est quod Protei sub fabula antiquiores celarunt. Esse autem & immortalẽ quinq; modis demonstrari potest, nec pluribus. Hoc autem in libro huic nomini dicato docuimus, qui & de Animi immortalitate inscribitur. Sed licebit hîc solùm adijcere, quod ibi omissum est. Est autem demonstratio, quod tot modis neq; pluribus contingat hoc demonstrare. Similiter ex his substantia mentis, multis modis cognita fiet: ex qua tam multiplici modo cognita, multiplices etiam illius uires, ac penè innumerabiles tum potestates & actiones fient manifestæ.

Mentẽ esse immortalẽ, quinq; modis demonstratur.

Igitur mentẽ si quis uelit scire qualis sit, uel illius propriam substantiam consideret, uel eorum quæ illi eadem sunt, uel operationis modũ, uel similia in opere ipso intus aut extra. Tot igitur modis neq; pluribus illius essentiam deprehendere licet. Ex propria igitur substantia, quæ uel omnia est, ut Deus, uel omnia recipit, ut materia prima, uel omnia agit, ut cœlum, constat mentem æternam esse, seu sit omnia, seu possit, seu recipiat. Horum enim singulum æternũ est, Deus, hyle, & cœlum. Neq; enim elementum ullum omnia recipere potest, aut esse, aut facere. Neq; mixtũ, ex finitis enim

nim infinitum constare non potest: nec ex mixto ullo. Præterea mens, quoddã est simplex. Nullus præterea sensus, nõ memoria, non imaginatrix uirtus, omnia concipere potest. At intellectum & mentẽ omnia uel esse uel fieri, uel posse, cõstat, cùm bouem, equũ, cœlum, intellectũ, numerum, speciem, ipsum deniq; infinitũ comprehendat. Quòd si mentẽ ceræ aut argillæ assimiles, quæ quamuis mixtũ sit, omnes tamen figuras effingere potest. Nihil hoc est: nam figura accidens est: substantia manente nihil prohibet mutari accidentia, cùm hoc non ex natura substantiæ, sed accidentium contingat. Mollities igitur & ipsa æterna esset, sed corrumpitur ob substantiã, cui inest. Hoc enim quod potestate est, perpetuum natura est. Sed non est potestate, etiã ad ea, quæ natura, & specie differunt. Solæ autẽ substantiæ & natura specie uere differunt. Figuræ uerò solo sensu. Ex his autem quæ illi eadem sunt, manifestiùs deprehẽditur. Quòd enim omnia non possit, sed aut sit, aut recipiat, manifestum est, cũ Deum, cœlum, & species rerum intelligat: quas res cùm facere non possit, uel eas recipit, uel in illas mutatur. Vnde constat, æternũ esse uel quod recipit, uel quod mutatur. Neque enim talia uel elemẽto, uel mixto, uel interiori sensui, aut exteriori imprimi possunt. Facilius etiã esset corruptibiles formas in æternis subiectis inueniri, quàm æternas in corruptibilibus. Nec umbra esse potest, quod recipitur diuinorum: nam intelligendo mortalia, mens separat, quod mortale est. Ex operatione autẽ duobus modis, primũ quidem, quod semper perficitur, nec unquã senescit: at cæteræ uirtutes non ita agunt: imò memoria, quæ præstantissima uidetur sensuum interiorũ, quò plus habet, eò minus est habilis ad habendũ. Nec uisus ex priore uisione melius uidet, aut opere suo proficit. Intellectus autem semper proficit in-

intelligendo. Nobilius enim est scire, quòd in orthogonio trigono latus recto angulo oppositum tantũ potest, quantum duo continentia: quàm scire, quòd omnis trigonus habet tres angulos duobus rectis æquales. Et hoc quàm scire, quòd maius latus maiori angulo opponitur. Et rursus, quod non atteritur, non senescit: quod non senescit, nõ corrumpitur: mens non atteritur, sed semper manet. Quæ enim corrumpuntur, senescunt omnia: ut animalia, & sensus, & stirpibus marcor. Neq; senescere quicquam potest, quod nõ atteratur: siquidem senectus ipsa, attritio quædam est. Intellectum etiam non atteri potest, quod corpore senescente, ipse melior euadat. Vnde senes benè instituti, omnium iudicio & prudentissimi sunt, & sapientissimi. De seipso etiam patet, quod nõ senescat, quoniã cùm ad ulteriora semper procedat, in posterioribus uerò priora contineantur, ut in conclusione præmissæ, atq; principia, manifestum est non atteri. Quòd si dicas, obliuisci senes: hoc nihil est, cùm iam eius rei non sit intellectus. Omnes enim uirtutes, deteriores senio efficiuntur, quoniam non ex priore substantia pendent, sed prima & ingenita, hæc autem corporea, & senectuti obnoxia. Ex comparatione ad ea, quæ intus sunt, rursus deprehenditur æternam esse mentem, cùm uideamus diuturniorem esse, atq; perfectiorem his, quæ simpliciter quidem mortalia sunt, fortuitò autem, & natura quadam immortalia, uelut anima & materialis uocatus intellectus: purior enim est agens, & uiuacior his omnibus. Nec ut anima perit corporis ratione: nam accidens esse non potest, cùm nos intelligamus, & substantijs idem sit, aut eas recipiat, ut demonstratum est. Nec corporis pars: esset enim anima corpulentior: nec actus illius, non enim posset æterna capere, quæ naturæ illius repugnarent: nec externum

quic-

quicquam, non enim nos ipsi intelligeremus.

Ex comparatione uerò ad similia exteriùs, quomã quaalis exterior lux dirigit animalia bruta ad opera recta, ut bombices, & hirundines, ita hominem ad eadem interior: solus enim nouit quid agat, propter quid, & quomodo. At exterior lux, cùm speciem dirigat totam, & in materia non sit: sempiterna est igitur, & interior. Esse similes has lucis partes in his, & in illis, ostendunt opera ipsa. Nec uidetur difficultas, nisi quis dicat ex habitu hæc in animalibus fieri: quòd & si pauci nouerint sapientes, magnam tamen habet dubitationem ob tres causas: prima, quòd in insulis nouis uideantur aues non uitare homines, quoniam non nouerunt: eædem fugiunt, iam frequentantes loca. Prætereà quòd hunc habitũ in manibus, pulsando lyram uideamus, cùm nihil cogitantes tam celeriter, & appositè digiti didicerint cordas, alij premere, alij percutere. Tertia, quòd nulla uideatur recta uia ad declinandam mentis humanæ immortalitatem, præter hanc. Sed his iam alibi satisfecimus. Quæstio de intellectu.

Tempus uidetur esse, ut de mentis uiribus loquamur, cũ iam demonstratũ sit, substantiam hanc esse atq; æternam, in omnia transmutabilem. Non tamen materiam, aut accidentia retinet. Quid igitur, quòd his quidẽ clarior, illis obscurior? Et etiam per diuersa tempora in eodem, quod dæmoniũ Socrates appellare solebat. Et quomodo eiusdẽ naturæ esse potest in omnibus, si nõ una etiam in omnibus sit? Sit uerò in omnibus una & eadẽ, an nõ habet partes? Quid igitur, an quãta, an omninò diuidi nequit? Vtrũq; autem per absurdum, ut aliâs declaratũ est. Igitur mens quidẽ & intellectus omnis extensus est, & quasi immẽsus. sed nõ limitibus cõprehensus. Sed cur corpore ipso cõprehenditur? Et quando q; sitet, hoc autẽ dictum est aliâs. Est igitur absq; termino mens,

no mens, & quasi coëxtenditur omnibus. Contrahitur & extenditur, fulget & obscuratur, silet & operatur: hoćq; præsertim, quoniam initium operis eius à quodã corporeo originẽ ducit: quo corrupto, intellectus operatio marcescit. Est uerò mens alia plena suis numeris, ut in eruditis, in alijs imperfecta. Nam & imperfectio, in rebus æternis est, ut in luna cùm eclipsatur. Est igitur mens perfecta non alia, sed tamen perficitur. Cùm autem posteriora non sint eadem prioribus, nec cœlum equo, aut boui, quomodo mens una, eademq; erit, si equus & bos non unum sunt? Manifestum est autem, hoc idem in uno, eodemq; homine contingere, & segregari. Nam in quibusdam mens segregatur ab homine, inde eclasis, quam nos percipimus. Sed quid mirum est, mortalia apud mentem, mortalitatem exuere, cùm in speculo quæ uidentur, propriam exuant magnitudinem? An illud mirabile uidebitur, mutari in singulas formas mentem, cùm speculum mutet idola ex rebus, quæ obijciuntur? Sit igitur altior intellectus, lux, & lumen, & humana mens, speculum, & imago imaginantis animæ (quam phantasma Græci uocant) res quæ uidetur, & idolum intellectus. Quærendum est igitur quintum, scilicet cui repræsentatur: nam hoc perpetuum esse, necesse est. Si igitur speculum esset, id perpetuum esset imaginum æternarum: non quatenus reciperet, sed catenus tantũ ut perciperet. Siue igitur unum, siue plura, æternũ esse necesse est. Cessat autem ab opere, uel cùm cessat imaginatrix, uel cùm lux ipsa & intellectus agens. Videtur autem perfectis imaginibus subitò adesse. Quare à multis creditum est, mentem esse imaginatricem uim. Sed in animalibus alijs ab hominis imaginatrix est, non autem mens. Mentis autem & perfectæ imaginatricis discrimen fermè nullum in accidentibus, sed in

sub=

substantijs manifestum: non enim imaginatrix, aut alia uis à mente substantiam comprehendit: multoq; minùs secundam, seu quam dicimus uniuersale. Similiter in hoc à ratione differt, quòd ratio non est uniuersalium, sed singularium. Quærendum est igitur, quónam pacto mens singularia percipit, quæ æterna non sunt? Et an complexa solùm intelligat? Et an in his ùnum sit complexum, aut potestate plura? Et an uniuersale ipsum aliquid sit. Ob id enim Plato uniuersale aliquid esse statuit, ne figmentum esset: atque ob id intellectus mortalis existimaretur. Igitur cùm mens, quod commune est, intelligit, quoniam ex imaginibus singularium hæc colligit, & illa esse, ex quibus colligit, percipere necesse est. Adducamus autem exemplum, si quis lumina plura speculo abijciat, ex quibus in obiectum parietem iridis species fiat, quàm oculus in speculo intuetur, erit iris aliquid, & nihil horum, ex quibus fit. Mens igitur & hoc, & illud apprehendit. Non est igitur uniuersale figmentum, sed non sine singularibus aut mente, sicut neq; iris: aliquid enim est, sed non sine luminibus, & speculo. In anima autē forsan nihil necesse est ponere simile parieti. Ipsas uerò substantias separatas, ut sunt, intelligit, ex quadam similitudine ad ea, quæ sunt ex sensibilibus. Quare simplicium est intellectus. Est in complexorum, ut quod homo est animal: sed ratio plura facit, intellectus autem unum. Non enim animal comprehendit, nisi ut est homini idem. Et si diuersa, non simul, nec per se, sed cùm intelligit hominem non esse bouem. Ex hoc intelligit, quòd homo ipsius est, non ergo bos: ratio infert, non intellectus. Auxiliantur enim intellectui, & seruiunt, ratio imaginatrix, & memoria: ut his uirtutes reliquæ. Si igitur unum non sunt omnia, quomodo anima est omnia sensibilia per sen-

ſum, & intelligibilia per intellectum, idemq; recordatur, ſentit, ſapit, atq; intelligit? Si autem unum, quomodo quidem hoc perpetuum, & hoc mortale? Nam de ſenſibus ſaltem exterioribus, quos cum belluis communes habemus, nemo dubitat. Atq; hæc eſt altiſsimarum quæſtionum, quæ de anima habentur, fundamentum, atq; initium. Et ob id rurſus peccauit Plato, omnem belluarum animam ſtatuens immortalem, ne in id quòd dictum eſt, abſurdum incideret. Peccauit autem grauiùs, quòd animalium fœdiorum animas non ſtatuit immortales, aut uulgi rumorem metuens nimis, aut ne cogeretur etiam ſimiliter ad ſtirpes uſq; deſcendere. Par autẽ ratio erat de omnibus animalibus. Nam tametſi ſcarabei, & apes imperfecta ſint animalia, auditúq; carere credantur, homo tamen ſolertia magis cum his conuenit, quàm cum oue uel boue. Sed de apibus Virgiliana poëſis docuit, & experientia ob utilitatem, ut omnibus compertum: de ſcarabeis nõ ita omnibus notũ, non tamen ſecùs ſe habet. Verũ à clarioribus initium ſumendũ: utpote quòd his quidem purior, his impurior ſit: alijs plus de mente, alijs minùs: ſiue quòd ſecreta impuriore animæ parte magis eluceat, ut in principibus. Secernitur enim in his, ob magnã rerum cognitionem, & motus ſpirituum, qui ſunt animæ primum inſtrumentum. Ex quo manifeſtum eſt, cur principes plura præuideant, etiam ſi mali ſint: nam mens ut purior eſt, primæ origini iungitur, & faciliùs, & frequentiùs: ob ſcelera autem turbatur, coniunctio tamen illa nõ interrũpitur: ut in C. Cæſare, & Auguſto: qui tot hominũ cædibus ſunt coinquinati. Sed ſapientũ anima non ſolùm pura eſt à ſordibus ſenſuum, & corporeis, ſed plerunq; à uitijs. Vt igitur in ſpeculo polito, ita in anima diſciplinis, & multa rerũ cognitione exercitata intellectus purus redditur. Hic eſt im-

Principes cur ſapientes.

est immortalis, & lux suprema. Scelera igitur diuinitatis hunc sensum haud impediunt, sed spectra conturbant: eaq; dæmonibus tribuuntur, quos constat esse mendacij authores, cùm ab impura anima proficiscãtur. Ob connexionem uerò tot uirium, instrumentorũ, partium, operationum, difficilis redditur cognitio essentiæ ipsius humani animi. Separatur igitur mens, atq; hoc est manifestum: utrum autem sit separabilis, magna est dubitatio. Cùm enim ad ordinem rerum respicimus, ad coniunctionemq; operationũ nostrarum inter se, ac similitudinem, infirmitatemq; nostrã, cùm ad scientiæ paruitatem separabilis non uidetur esse. Hoc autem superiùs demonstratum est, ex euidentibus ac proprijs principijs. At uerò uidentur initia cõtemplandi proxima sensuum finibus: ipsius autẽ contemplationis processus maximus, & multũ à sensuum limitibus remotus. Hoc autẽ idem in cœlo inspicitur, quod quamuis æternum sit, contiguum est tamen mortalibus elementis. Indicio est, quòd quĩ plurimũ recedunt à sensibus, quasi se nihil scire existimant: ob id contingit, ut eruditi parũ ualdè se scire credãt, ineruditi multũ: cùm tamẽ potiùs contrarium cõtingere deberet. Nam ineruditi, quæcunq; norunt, quoniã hærent sensibus, firmius noscentes, nec ultra ad æterna progressi, multùm se scire existimãt: eruditi æternorũ magnitudinem & multitudinem cernentes, horũ autem inferiorum infirmã notitiam, tum magis cũ à sensibus abscedunt, nihil propè se scire putant. Et nos qui admirationi fuimus pluribus gentibus tam humiliter de nobis ipsis sentimus, ut malim iudicio acerbissimi inimici stare, quàm nostro, ubi de doctrinæ existimatione agatur. Improba est illã scientia, quæ quantò magis crescit, eò proprio iudicio fit minor. Sed hæc ad Arcana æternitatis potiùs pertinent. Nunc uerò ad propositum

Ineruditi eruditis cur plus se scire credant.

redeamus: anima, eò magis intelligit, quò magis exercetur: nec ullus ei terminus est præstitutus. Vt igitur in speculo, quò politior fuerit, eò magis & exquisitiùs imagines relucent, ita in anima. Aut ut comparemus eam argillæ, quæ in eo magis fit tenuis, ac ad figuras recipiendas idonea, quò magis tractatur. Fit autem tribus modis purior, exercitatione bonarum artium (atq; hæc præcipua) ut in sapientibus: abstinentia, ut in eremo habitantibus: morum integritate, ut in his, qui ciuiles res tractant. Cùm uerò non ex operibus tantùm, sed uolũtate Dei hoc fiat, hæc quidem uidentur fortuitò ministrari, sed non sic, uerũm diuino nutu. Itaq; cùm ad omnia conuertatur, uidetur immersa materiæ impediri, alioquin natura cœlestis: quò fit, ut quidam hæc magis, aut alia intelligant. Vnus igitur intellectus, omnia intelligit, perficitur'q; successione partium. Vna igitur mens, omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui'q; futuri sunt. Alij igitur ad alia habiles magis ac promptiores, quod alias partes mentis, & aliud instrumentum adepti sint. Adeò ut qui magis mente ualent, ad opera minùs sint accommodati: ut enim qui contemplatur, omnes uires animæ ad ea, quæ sola immortalis est, trahit: ita contraria ratione, qui operi addictus est, quicquid est uirium in parte intellectiua, ad sensitiuas, & singulares tractationes reducit. Illo igitur, eam partem destituente prorsus: isto, omni nixu uires animi ad illam contrahente: quid mirum esse debet, hunc illo hac in parte, quæ ad negocia pertinet, euadere superiorem? nisi excellens quædam uis animi & mentis perfectio obstet: ut in Hippocrate, Aristotele, Galeno. Itaque ut rem ipsam, qualis sit, doceam, si omnes homines perpetuò uixissent, ac usq; in infinitum, unus fieret Deus quidam, quòd omnia in unum coirent, atque ulterius procederent.

Mens tribus modis pura redditur.

Cur q mente ualet, opere nõ ita.

Cona-

Conamur hoc scriptis: sed hoc qualecunq; sit, exiguum est, cùm ad infinitum refertur. Neq; etiam seruari diu potest: sed est æuum scriptis, ut etiam hominibus ipsis, sed longius. Indicio est, quòd ante Troiæ excidium nihil certi habemus. Fuit autem ante nos annis MMDCCL. fermè, & ab eo tempore solùm rerum memoria colitur. Nec ea rectè, sed fabula potiùs, quàm historiæ similior. Nam antiquior Homerus atq; Hesiodus, & quædam Dictis atq; Daretis fabulæ, & ipsa quàm historiæ propiora: tempore excidij urbis, aut longè pòst, habentur. Sed natura humana conscia immortalitatis, & ad illam aspirans, inexhaustis laboribus texit historiam, non solùm factorum, sed naturæ. Quo titulo superbissimo Plinius suos libros inscripsit. Potestate igitur mens intellectus supremus, quæ tamen nunquam perficitur. Velut & terra potestate perpetua, nulla tamen eius pars anni, ita nullus tamen annus. Si igitur perpetuum est, partem esse perpetui, mens nostra perpetua est. Sed cùm idem sit totum cum parte, melius est dicere mentem esse perpetuam, ueluti & hyle. Constat enim, si memoria suppeteret, uel libri perpetuò subministrarentur, corporeæq; uires non deficerent, in uita perpetua quemcunque futurum beatum, id est, fœlicitatem habiturum, quam & supremæ substantiæ, quæ nobis momento contingit. Hoc autem est cognituràm seipsam mentem quid sit, & unde prosecta: immortalis enim natura, est mens atque anima intellectiua. In his uerò quorum pars à toto distinguitur, totum immortale esse potest, partes autem corrumpi, ut in elementis, & singularibus specierũ animalium, aut stirpium. Quamobrem omnes, qui naturaliter locuti sunt, animam statuentes immortalem, unam esse dixerunt, ut Theophrastus, Themistius, & Auerroës. Vt igitur una & in toto, per-

petua est, coniuncta'q; superiori mente: & ita extrinsecus aduenit: ut cuiusq; anima, & cuiq; propria, & in corpore, mortalis. Hinc igitur substantiam, illinc opus habet. Sunt illius quatuor habitus: aut agendi, & dicitur prudentia: aut operandi, & dicitur ars: aut cognoscendi tantùm, uocatur'q; scientia: aut ingenitorum axiomatum, & tribus prioribus necessariorum, dicitur'q; intellectus: ut quod totum, sua parte semper maius est. Aristoteles autem diuidit notitiam simplicem in duo genera: aut enim est eorum, quæ sensibus quoquomodo subiacent, uocatur'q; scientia: aut quæ non subiacent, dicitur'q; sapientia. Quæ quantò scientia est minùs certa, eò nobilitate præcellit. In uniuersum igitur quinque erunt habitus mentis. Atq; his illa quasi constat. Nobilissimus omnium, cuius minor habetur pars, scilicet sapientia.

Fides quid. Mens ergo pars animæ quædam melior est, atq; perpetua substãtia, & opere: quiddam aliud ab eo, quod est præparatio, etenim potentia ut materia. Et ut quies spiritui somnus, ita illi fides. Et ut somnus perfectus perfecta quies spiritibus, ita quies perfecta mentis. Cessat enim in utroq; rationalis animæ opus: ob id, qui plus ratione ualent, minùs habent fidei: ut etiã in somno anima quasi libera, menti superiori exponitur, præuidet'q; futura, non facit: ita in fide unitas fit mẽtis nostræ atq; superioris: & ob id facit nõ præuidet. Vt uerò potiùs mons transferetur, quàm quod admittatur, aut uacuum, aut materia ultra naturam extendatur: ita unitas hæc potiùs uniuersum dissolui patietur, quàm non idem sit uelle, fiat'q; separatio. Velle autem mentis uetæ, dispositio est uniuersi: oportet igitur iuxta fidem omnia fieri. Sed uelut in somno non semper exponitur anima, nec fit diuinatio, & reflexio, ita multò minùs in fide unitas.

Cum

Cùm enim anima, aut impura fuerit, aut ab exteriori affectu turbata, non copulabitur, nec exponetur. Dicemus autem de hoc aliâs. Quamobrem hæc est summa perfectio huius mortalis conditionis. Primùm quidem, ut in corpore, ut tale sit: secundũ, ut hoc sit, quod in illo est. Est autem anima humana: deinde, ut in ea sit sempiterna mens: ultimũ, ut quasi per somnum copuletur diuinæ. Huic quidem tanquam spirituum, & corporeis tumultibus sedatis exposita: cùm hac uerò proprijs quasi sublatis, in unum coit. Itaq; & hoc totum potestate quidem maximum, & admirabile, tempore uerò exiguum atq; alieni muneris. Manifestissimũ autem est primum genus, quoniam proprium est animæ, & tamen ratio latet. In hoc uerò frequens, quòd in nobis, inde quod in similibus. Dico autem hominibus, equis, ac talibus, unde præcantatio. Difficilimum & rarissimum in his, quæ anima carent, quoniam principium eorum non adeò consentit cum ea unitate, quæ separata est.

Præstare autem homines in duobus uidentur, uel quia plures imagines rerum seruant, & meliores: unde senes, & studiosi, & exercitati in mathematicis, & ueritatis amatores, alijs sunt sapientiores: uel quia quasi in uno ictu eleuãt, quas iam seruauerunt imagines: ac quasi transilientes ex una in aliam permeant, donec rei finem attingant. Qua in re neque senex, neq; pueri sunt præstantiores, sed iuuenes. Qui non solùm celeriter, sed quasi robustè, hoc onus ferunt. Hoc uerò totum quicquid est, non multum à sensibus remoueretur, quoniam ab illis ortum habens, non potest ulterius ferri ob breuitatem uitæ uniuscuiusque hominis, & memoriæ imbecillitatem. Tametsi monumentis remotissima à sensu traderentur, nihilominùs comprehendi non possent, quia necesse est unumquenque redire ad

Mentis humanæ declaratio pulchra.

prima principia ab initio, ut intelligat, & cognoscat. Nisi quispiam doctrinam traderet demonstratiuam, historiæ modo. Et propter hoc dicunt, quòd fides ulteriùs fertur, quàm humana sapientia, idq́ ueriſsimè dictum. Quod enim terminum habet in primis principijs, non potest procul multùm abscedere, si continuis demonstrationibus procedatur: tum ob uitæ breuitatem, tum quia animus fatigatur. Ergo nostra mens, quasi unius orbis est contiguus humanæ cognitioni, quæ per sensum habetur. Atque ideò etiam plenus erroribus, dubitatione, & totus impurus, propter immixtionem cognitionum singularium, quæ nobis propria sunt ob sensus, & familiaritatem: nihil tamen cum mentis orbe commune habent: orbis autem huius motor, est agens intellectus. Partes uerò cùm finem habeant, necesse est, ut eis absolutis post tempora redeamus ad idem, eorundemq́ scientiam. Cumq́ longè maior sit orbis hic, quàm humana capacitas unius hominis, imò & multorum hominum, & multorum seculorum, necesse est, ut qui sciret omnia, quæ iam cognita fuêre alijs temporibus ab omnibus, instar unius intelligentiæ esset: quorum nos minima pars sumus. Verùm quilibet superior intellectus hæc omnia simul habet, & præter id longè plura, id est, orbem alium sapientiæ: ut sit proportio ueluti immensi ad exiguũ in quantitate: sed in essentia infinita propter rationem substantiæ ad umbram: omissis etiam erroribus, dubitationibus, atq́ impuritate, quibus totus hic noster orbis commaculatus est, atq́ impeditus, & imperuius.

De unitione mentis cum Deo.

Cùm uerò mens ipsa ardens fuerit in Deo, tunc nostra natura supra seipsam effertur, miraculaq́ contingunt: uideas ex timidis fortes, ex miseris beatos, ex ignaris sapientes, ex imbecillibus robustos fieri. Traducitur enim humana mens

na mens ac quasi copulata altiori, corpus secum eleuat: hic feruor facit obliuisci miseriarum, laborum, mortisq: unde semper hilares in Deo militant. Non facile autem est hac face ardere, sed à Deo datum est hoc. Oportet autem primùm obliuisci diuitiarum & uoluptatum omnium, inde etiam suorum necessariorum, gloriam odisse, & omnia exteriora bona: pòst uerò etiam uitæ & incolumitatis obliuisci, deinde propriam ignorantiam, & improbitatem cognouisse, odisseq; facta sua: alios uerò omnes, nisi qui in malo pertinaces sunt, in Deo quasi semet diligere: bonorum uerò facta suis præponere, nihil sapere, nihil cogitare, aut amare, quàm Deum, in eoq; solo sperare. His nouem gradibus mens præparatur, ut fiat fax Dei, neque tunc ullo casu, aut incommodo separari potest: hocq; Christus docuit Apostolos undecim, & paucos alios. Cùm uerò arserit in Deo, quæcunque facere potest, agnoscit, & quando: nec unquam tristis est, nunquam ægrotat, miracula ædit, inscia peccati & fastus. Dum uerò talis est, & antè (nam hæc utrique tempori communia sunt) ieiunant assiduè, & orant: non esca post labores ubi ardere cœpit, impedit, ut neque aqua incendium magnum. Quorum uerò mens cacodæmoni iungitur, hi fermè contraria his patiuntur: inquieti sunt, tristes, cupidi, morbosi, oculos uibrant, ut solo aspectu dignoscantur. Semper autem diuinus ardor aliquid egregij parit. Vtriq; in hoc conueniunt, quòd hominem è proprio habitu deturbant. Sed diuinus ardor facit prudentes, pios, & bona facientes. Dæmoniorum uerò coniunctio obiter sæpè contingit, raro tamen illi, cui contigerit, obiter euenisse uisa est. Harum utraq; cùm non successerit, terminatur in amentiam: excussa enim mens è propria sede nutat, nihil aliud firmum complexa.

Dæmoniaci quæ patiantur.

Cur homines in diuersis præstent?

Est etiam illud consideratione dignum, uarios homines uarijs in rebus præstare: Indi occidentales, qui Peru incolunt, manuum opere: qui nouam Hispaniam, agilitate corporis: orientales, ingenio: Turcæ, robore: Europei, agilitate: Agyptij olim mathematicis: Græci, philosophia. Hæc uerò contingunt ob mentis naturam, partes usum. Quibus igitur ex toto mens sepulta est in corpore, ut neq; uestigium illius appareat, hi robori solùm incumbunt, suntq; feri, uelut Tartari ac Turcæ. Quibus uerò mens sepulta non est, sed tamen conuncta corpori ualdè: si corpus robustum fuerit, hi agilitate ualent: si imbelle, artibus: ut Indi Peru, qui minimis instrumentis subtilissimè texunt, ædificant, uasaq; conficiunt. Quòd si parùm annexa fuerit corpori, artibus nihil ualent, sed studijs: si quidem imbecillis, mathematicis: si robusta physicis. Si uerò admodum separata, minùs etiam artibus præstat, aut conuersatione hominum, sed diuina intelligit. Quæ uerò ualida est partibus inferioribus, & benè annexa, negocijs tractandis accommodatur. Constat igitur nemnem in omnibus posse præstare: quòd si usus adiungatur, conueniatq; naturæ, mirabiles euadunt: si non mediocres: si usus desit, ignobiles. Ob id unaquæque regio in eisdem rebus excellit, in quibus etiam multos habet cultores eius studij. Atque inter reliqua quosdam, tum ob superstitionem, aut religionem synceram, tum ob naturæ proprietatem, tum mentis ipsius uim seu supplicationibus Dauidicis, quas Psalmos appellamus, luminis potestas in animam infundendi insit, seu non. constat puris corporibus, ac sobrijs, tum animis futurorum scientiam adeptos esse. In uniuersum tamen omnium præstantissimi sunt, qui auditu, aut olfactu ualent, aut alio exteriore sensu: aut etiam memoria, uel ingenio, quod magis mirum est:

Modus futura præscindi.

Homines præstantissimi qui,

est: multò minùs, qui robore, aut corporis agilitate, sed qui optimè reminiscuntur: proximi his scilicet, qui iudicio ualent. Sed hæc non una uirtus est.

HOMINIS MIRABILIA.

CAPVT XLIII.

NON minùs miraculis homo, quàm corporis aut animi excellentia, cæteris animantibus præstat. Augustinus recitat de hominibus, qui capillos immoto capite traducerent ad frontem, reducerentq́. Id certè mirabile: nec enim uis ulla capillis inesse potest: sed causam, in cutis laxitatem, & robur referre debemus. Narratur de quodam presbytero, Restituto nomine, qui quoties uolebat, iacebat ut mortuus absq́ anhelitu, nec solùm uellicantes, sed & pungentes non sentiebat, & admoto igne amburebatur absq́ dolore. Id mirum & incredibile multis uideri posset, qui hoc apud Turcas frequens esse ignorant. Multò uerò minùs, si quippiam tale apud nos esse docuerimus. Quatuor enim mihi indita sunt à natura, quæ nunquã aperire uolui, & omnia (meo iudicio) admiratione digna. Quorum primũ hoc est, quòd quoties uolo, extra sensum quasi in ecstasim transeo. Volo autẽ docere, quomodo id agam & quid sentiam: nam non eodẽ modo, quo ille presbyter, afficior: ille enim dolorem magnũ non sentiebat, anhelitúq́ destituebatur, ut dictũ est: uoces tamen quasi è longinquo audiebat. Mihi uerò nõ ita: sed uocẽ quidem leuiter audio, quid dicant nõ intelligo. Dolorem magnũ an sensurus sim: nescio: uellicationẽ ualidam, & podagræ dolores uehemẽtissimos, nihil prorsus sentio. Sed diu in ea permanere nõ possum.

Homines capillos mouentes.

Authoris proprietates quatuor

possum. Sentio dum eam ineo, ac (ut uerius dicam) facio iuxta cor quandam separationem, quasi anima abscederet, totique corpori res hæc communicatur, quasi ostiolum quoddam aperiretur. Et initium huius est à capite, maximè cerebello, diffunditurque per totam dorsi spinã, ui magna continetur: hoc que solùm sentio, quòd sum extra meipsum: magnaque quadam ui paululùm me contineo. Secundum est, quòd cùm uolo, uideo, quæ uolo, oculis, non ui mentis: uelut imagines illas, de quibus dixi, cùm infans essem, me uidisse. Sed nunc credo ob occupationes, nec diu, nec perfectas, nec omninò semper cùm uolo, nec tamen nisi uelum. Mouentur autem perpetuò, quæ uidentur imagines. Itaque uideo lucos, animalia orbes, ac quæcunque cupio. Credo causam esse, uim uirtutis imaginatricis, uisusque subtilitatem. Tertium est, quòd omnium, quæ mihi uentura sunt, imaginem uideo per somnium. Neque unquam ausim fermè dicere, uerè autem dicere possum, meminisse, quòd quicquam boni aut mali, uel mediocris mihi euenerit, de quo priùs, & raro antè multum, non fuerim per somnium præmonitus. Quartum est, quòd eorum, quæ mihi euentura sunt, quanquam sint perexigua, uestigia in unguibus apparent. Nigra & liuida malorum, & in medio digito, felicium alba: & ad honores in pollice, ad diuitias in indice, ad studia & res maioris momenti in annulari, ad exiguas inuentiones in minimo: coacta, res firmas: si sint ueluti stellæ, res minùs constantes & magis publicas, uerbisque plenas. Hæc si quis obseruet, ut naturalia, nec fallitur, nec Deum offendit: imò gratias illi reddere uidetur, nisi apud superstitiosos, aut imperitos. Si ut à dæmonibus immissa, idololatriam apertè committit, atque insanus est & uanus. Omitto quatuor alia quæ non minùs mihi sunt propria his, quæ dicta sunt, sed

haud

haud ex natura pendent, sed à fortuna quadam aut nimis corporea. Neque enim memini me, cùm iam quinquagesimum secundum annum exegerim, una die tota integra ualuisse, sed semper aliquid sensi incommodi. Quinimò tunc lætus sum, cùm aliquid dolitat, tristis, cùm nihil: atq; hoc perpetuò mihi contigit. Ad scribendum quoq; impulsus, non allectus: somnijs, occasionibus, patientia, successibus, impedimentis aliorum negociorum, deniq; desperatione aliarum rerum: alioquin natura supra modum luxui, ludisq; deditus, nec ab ambitione, lucriq; cupiditate alienus. Consuetudine autem ita obdurui, ut nunc diuitias parùm, honores nihili faciam. Illud pro miraculo duco fermè, quòd in absoluendis rebus neque unquam tempus defuit, neque superfuit: sed contingit ad unguem absoluere, quæ cœperam, quando amplius non poteram differre. Ita & negocia, & reliquæ actiones, finem cum occasione semper acceperunt. In assequendis autem occasionibus scribendi, fui fœlicissimus, in cæteris infœlix. Tot uidi mira, tot occasionibus usus, tot rebus interfui memoria dignis, ut unus breui tempore uiderim, quæ forsan multa post me secula nõ uidebunt. Adeò ut timeam, ne quisquam existimet me uanum fuisse. Sed si alij forsan relicta cupiditate tanta habendi, mentẽ adhiberent nouis rebus, licet non nouum opus in hoc genere egregium, tamen forsan ædere possent. Natus sum sæculo raro, quo totus orbis innotuit, quò typographica ars, & multa alia, quæ antiquos latuêre, inuenta sunt. Fui diligens, cupidus sciendi, contemptor diuitiarum, & honorum, uersatus cum eruditis, nullius disciplinæ, quæ ad ueram scientiam pariendam ignarus: spreui uoluptates, amicitias, & Principum maximè: alienus à scribendis epistolis, & salutationibus, in quibus scribẽdis pleriq; uiri egregij

nõstræ

nostræ ætatis plurimum temporis attriuêre. Deniq; tantus amator ueritatis, ut faciliùs meipsum oderim, quàm ueritatem. Nam ipsum me odi centies, ueritatem nunquam. Pòst, uisus sum ab aliquo numine (ut sæpiùs dixi) foueri. Non defuit ætas (ut dixi) quæ præter id, quod iam prouecta sit, ab octauo anno ad hanc usq; diem, nunquã ita morbo detentus sum, ut uel horæ spatio impeditus fuerim à legendo, scribendoq;. Quædam etiam fuêre iuxta ætates: nam prima iuuenta, quod & aliâs dixi, & cum Tiberio Cæsare commune fuit, nuper experrectus, in maximis tenebris omnia lustrabam, ac si dies clara esset: sed breui tamen uis illa mihi subtrahebatur. Nunc etiam aliquid uideo, sed tamen non discerno. Causa est cerebri caliditas, spirituum tenuitas ac substantiæ oculi, & uis ualida imaginantis uirtutis. Sed ad propositum redeo: illud de unguibus commune mihi est cum sacerdote quodam primario. Is cùm ægrotaret, uestigium ingens in medio digito mihi ostendit, quod simul cum morbo euanuit: ut morbos decretos à cœlo haud obscurũ sit, licet non omnibus uestigia appareant. Verùm de hoc suo loco dicemus, dum de chiromantia loquemur. At illud in ecstasim collabi, idẽ est, quod Auicenna non intellectus ab interprete, appellauit fieri paralyticum: quando in libris de Animalibus, dixit, quendam fuisse, quem si serpentes momordissent, peribant, ipse autem non lædebatur. Et quòd quoties uellet, fiebat paralyticus, id est, iacebat absq; sensu, & sicut mortuus. Liquet igitur, quòd illud, quod ei superueniebat, & nobis, & Restituto presbytero, & quod Turcæ habent in usu, est unum & idem, scilicet ecstasis. Et quod multi alij possent id facere, si animaduertant: omnes autem, non existimo. In nobis hoc contingit leuiùs, ob quatuor causas, quàm in illis. Prima, quòd

Videre in nocte.

Homines in ecstasim transeuntes

quòd naturâ sim ualdè sensibilis: unde non adeò possum exquisitè in contrarium transire. Secunda, quia non ita me exercui, ut illi: nam hoc à puero nesciebam, & etiam dum essem iuuenis: sunt enim in tantũ circiter anni decem, quod cognoui hoc me posse facere: eius initium fuit casu. Quæcunq; autem magna hominibus euenium, oportet, ut à puericia illis assuescant. Tertia, quia hæ uires sunt maiores & minores in diuersis hominibus, ut memoria, auditus, uis uidendi, & reliqua: & in Turcis transit per stirpes, & hoc modo augetur mirum in modum. Quarta, quòd ego non audeo multùm intendere hanc uim, quæ est naturæ contraria, ne forsitan aliquid mali inferret. Neque artem augendi eam noui, quàm uerisimile est illos longo usu, & multis iam seculis continuatam, edoctos habere. Et forsan quod etiam credo, cibi aliqui ab hoc conferunt. Animaduerti, si id agam apertis oculis, me nil prorsus uidere. Aliud est prodigiosum in nostra natura, & est, quòd semper odorem aliquem percipio. Quandoque mihi carnes propriè benè olere uidentur, aliquando thus, aliquando malè. Dum essem in Saccensi oppido, perpetuo fermè biennio sulphur adeò olebant, ut mihi timerem, & essem odiosus. Alij haud sentiebant. Sed hoc tempore multis ac uarijs periculis, ac calamitatibus sum conflictatus. Poterat hoc pro quinto mirabili connumerari, sed causas habet manifestissimas: subtilitatem sensus maximam, & cutis raritatem, tenuitatemq; humorũ, ut perpetua fiat exhalatio, quæ sentiatur. Neq; ergo mirum, si tot, tantaq; scripsimus: octo enim in nobis conuenerunt, quæ forsan fuerit difficillimum aliàs inueniret: ætas floridissima, diuturna sanitas, peritia mathematicarum usq; ab infantia, contemptus diuitiarũ & honorum, sensuũ subtilitas, amor ueritatis maximus,

Odore absque causa manifesta.

ximus, opportunitas occasionum, & auxilium à numine. Sed ut ad rem reuertar, non solùm ex me, sed etiam in aëre odores uarios sentio. Quandoq; etiam percipio quendam tremorem soli: atq; omnia hæc ex sensus subtilitate. Forsan quibusdam uidebitur ridiculum, quòd tot de meipso scribam: alij uerò tot miracula in hominibus esse haud existimabunt: alijs graue, quòd minima quæq; attingã. Prioribus quidem iam satis responsum puto, cùm nos loco diuitiarum, & bonorum, studiosi fuerimus sapientiæ. Si quisq; pro illa inexplebili harum rerũ, tam citò interiturarum cupiditate uolet experiri solũ, quæ in se sentiet, si non tot experietur, saltem aliqua. De miraculis autem unaquæq; ætas aut regio sua habet mirabilia. Superiùs recitauimus, gigantes in Chicora regione adhuc esse: olim ætas maiores tulit homines: iunctis utrisq; causis tam ingentium uirorum ossa inuenta sunt in Mexici sepulchris, ut parium ad totum habita ratione, uiginti palmos excederent magnitudine, hoc est, triplum iustæ magnitudinis fermè hominum nostræ regionis & æui. At hoc confirmat sacra pagina, historiæ docent, monumenta declarant reliquiarum. Nostra ætas uidit Diegum gigantem stipatorem Bononiæ, ut aliàs diximus. Constat iuxta fauces freti Magaliani in Boreali littore ad quinquagintaduas partes altitudinis, esse Patagones gigantes octo palmis longiores, magnis pro statura pedibus: qui crudis carnibus uescuntur, piscibus uerò assatis, pane enim carent. Vna buccea libras duas carnis aut piscium sumunt: tantum aquæ uno haustu bibunt, ut duodecim hominibus sufficere posset. Cæterùm forma decenti sunt, membrisq; pro altitudine commensuratis. Cursu uelocissimi, hilares, fortes, robustissimi etiam supra magnitudinis rationem. Furtis mirum in modum delectãtur, cru-

Gigantes cur, & quales.

deles

deles tamen (quod mirum est) non sunt, nec humana carne uescuntur. Sagittas adeò profundè in gulam demittunt, ut in uentriculum peruenire existimentur, quod ipsi pro egregio spectaculo habent. Itaq; nostra ætas nihil non uidit mirabile. Sed & nos cùm nõ semper magna referre possimus, uera tamen, sed rara recitamus: neq; enim minore miraculo in paruis natura ludit, quàm in magnis. Multa quoq; supra fidem euenìunt: existimamusq; egregijs uiris qui se uidisse testantur, fidem habendã esse. Quòd si quis nolit, maneat apud authorem. Quale illud beati Augustini aduersus Academicos primo: fuisse uirum Carthagine, nomine Albigerium, infamis uitæ, et turpissimæ libidinis notatum, qui omnia abdita nosset: adeò ut cùm à discipulo Romantiani, ad quem ipse Augustinus scribit, tentandi causa interrogaretur quid'nam cogitaret? respondit ille: Virgilij carmen. Cùm rursus interrogaretur ab eodem, quod carmen: illud recitauit. Duorum igitur alterum necesse, uel diuo Augustino aliquo modo impositum plurimum de se pollicenti, nouarumq; rerum cupido ob texendam historiam: aut his sæculis, quibus aliqua tractantur atq; scribũtur, numen aliquod fauere: uel omninò, quia talia certis causis tũc contingunt, scriptoribus materiam suppeditare. Id & in corporibus admiratione dignũ, quod apud Indos occidentales in prouincia Portus ueteris cernitur, cùm homines ceruice careant (eam uoco nunc partem colli, quæ est iuxta atlantem uertebram) & caput illis quadratum sit. Sed hoc arte, non natura, comparatur: uerumetiam ars in naturam quandam transit. Etenim nati ab his, quorum caput ab initio inter tabulas colligatum fuit, quibusq; compressum statim ut nati forent similem formam contraxerunt. Constat igitur humanam formam multis modis uariari, tum arte,

Albigerij diuinatoris historia mira.

Homines absque cerui ce.

tum diuturna succesione. Verùm quicquid fit aduersus naturæ decreta, noxam affert: illi tamen putãt eos incolumiores & robustiores euadere. Sed obstetrix ad naturalẽ statũ retrahere debet, nõ abstrahere. Neq; tamen absq; ceruice omninò, sed exigua: ita enim usus loquendi obtinuit.

Ioannis parui ossa. Plerunq; autem mõstra hæc in extremis regionibus contingunt, ut dictum est: neq; in calidis solùm gigantes, sed etiã in frigidis. Recitat Hector Boëthius, in templo Pettæ, regionis Morauiæ, quæ pars est Scotiæ, seruari adhuc ossa Litil ihon, id est, parui Ioãnis (contrario enim more proferunt Scoti quàm nos, ut etiam ludũt à sinistra incipientes) quæ uidisse ipse refert, atq; inter cætera, coxendicis os non breuius humano crure, quod suræ crassitudine erat, & in quod totum brachium inseruerat: ut coniectura assequeretur, hominem illum quatuordecim pedum altitudinem habuisse: ideo per ironiam, paruus appellatus est. Idem Boëthius testatur, anno MDXXI detectis sepulchris in Croiudain agro Buthouhaniæ, uidisse plurimorum gigantum omnia ossa. Quid igitur obstat aliud his temporibus, quo minus talia monstra procreentur, nisi permixtio gentium & uitæ ratio adulterata? uelut aliâs docuimus. Itaq; nil mirũ

Homines cursu uelocissimi. quod refertur, de his qui habitant iuxta Caput sancti Augustini, quas referunt esse gigantibus similes: adeoq; cursu ueloces, ut uenaticum canem seu leporem assequantur. Parum autem abesse à uero puto, cùm de Corsico illo cogito, qui uelocitati confisus, occidere Ferrandum Gonzagam Cæsaris præfectum tentauerat. Moscouitas refert Sigismundus liber Cæsaris apud eorum principem legatus, ieiu-

Moscouitarum mira. nij tempore abstinere penitus à cibo diebus lunæ, mercurij, ueneris: alij pane tantùm & aqua his tribus diebus uescuntur: quidã die sabbati & dominico cibum capiunt, sequentibus

cibus quinque diebus à cibo prorsus abstinentes. Id forsan quibusdam fabulosum uidebitur, sed non est. Concurrunt enim ob frigus parua resolutio aëris, consuetudo per plures progenies propagata, & copia cibi quæ his dieb. assumpta quibus comedunt, cruditates multas efficit, somni præterea longi ob noctium prolixitatem, & quies, & ciborum natura. Aliquanto maius est, canere inflaréq; tibias per horam, absq; attractione aëris per os: ipsum enim implent aëre, postmodum canentes inflantes'ue tibias, aërem per nares trahunt: tantum potest consuetudo. Iidem cùm patrio more tubis canentes, mirum concentum ædunt.

In eodem genere miraculorum humanæ naturæ, reponi debet Hay Scoti tum filiorum incredibile robur: is enim cũ duobus filijs, solũm, quasi nouo exercitu superuenientes, Danos uictores uertit in fugam: quodq; magis mireris, non claua, aut gladio, sed aratro. Data sunt illi prædia, uillæq;, nobilitatusq; in posterum, ut nunc etiam familia maneat: camporum magnitudo, quæ sex millia passuum longitudinem habet, latitudinẽ quatuor, declarat quàm insigne fuerit factum horum rusticorũ. Atq; hæc quidem uera. Cæterùm quæ de Merlino ferunur, quodq; Vterus rex Britanno rum in Gothloidis formam sit mutatus, genueritq; eo adulterio Arthurum regem insignem, res est fabulosa, & risu digna. Fingũtur talia, uel ob barbarorum simplicitatem, aut æui distantiam, aut rerum gestarum magnitudinem, quæ omnia forsan hac in fabula conuenêre. Vtcunq; sit, extant adhuc libri quidam huius fatuitatis, & apud illos intelligo alij quidam, quibus fidem, me reclamante, adhibebant. Porrò inter mira recenseri debet diuturna uita mulieris Scoticæ, quæ Robertum Brusium iuuenis agnouit: sub extremis annis Iacobum primum eius nominis Scotorũ regem,

Hay Scotũ incredibile robur.

Merlini libri.

Mulier longæua.

inter quos centum fermè anni intercesserant, cùm cæca lumimibus, integra mente esset. Maius uidetur de Ioanna, Gallica uirgine, quæ supra sexum fortis, supra ætatem prudēs, supra corporis habitum robusta, docuit Gallos uincere Britannos, uictoriis alacres repulit, ac demum Galliam seruitute liberauit. Digna res quæ perpetuis monumentis consecraretur, seu miraculi uice, seu sine miraculo admiratione maiore digna fuerit. Hanc tamen cùm incidisset in hostiū manus, spacium paucorum mensium, mentita prægnatione constat impetrasse: inde crematam publico iudicio. Quæ si diuino nomine adiuta fuit, cur capta? si non, quomodo tanta uirgo peregit? Deniq; si magicis artibus supra uires humanas potuit, cur capta non euasit? si absq;, cur damnata? Quamobrem non omninò fabulosam Camillæ historiam quis dicat. Nam & nuper in India mulier plures Hispanos occîdit, quàm sæpe Indorum uirorum integræ acies.

Ioanna puella.

Sexus mutatio quomodo.

Quod uerò referunt de puellis in pueros mutatis, haud fabulosum est, dicente Plinio: Ipse in Africa uidi mutatum in marem, nuptiarum die, Lucium Cosicium, ciuem Tisdritanum. Imò ne mirum, si quis rectè rem intelligat: nam uerè contingere omninò impossibile est: iuxta autem hominum opinionem, facillimum. Nascuntur pueri contracto genitali membro, obductaq; membrana quasi sinu quodā, atque in ea foramine angusto: ob id puellam, qui non attrectauerint, existimant: alijs autem sponte, ubi penis erigitur adolescentiæ initio, fracta membrana penis erumpit: pluribus in conatu uiri, dum cùm sponsa rem habere se putat, disfracta membrana, & attritu erecto pene, masculus prodit maximo miraculo, & prorsus nullo: nam maius est, ano haud perforato nasci, & tamen nascūtur quidam, & absq; miraculo: sed tempus facit.

Quæ

Quæ uerò de his qui sine cibo diu uiuunt, ad melancholiam sunt referenda: non enim ex humore crudo, ut quidam existimant. Scotus enim ille, qui tam diu sine cibo uiuebat, omninò erat melancholicus atq; stultus: qui cùm quadraginta diebus sine cibo clausus in turri Londinensi ieiunasset, lac pro primò cibo atq; potu assumpsit. Refert & Albertus, se uidisse melancholicum quendam, qui cùm diebus penè quinquaginta à cibo abstinuisset, solo aquæ potu interim singulis aut alternis diebus contentus erat. Itaq; cõstat eum humorem tam diuturnæ inædiæ causam esse: sed non omnis humor eius generis: uerùm qui ex lentis & crassis humoribus gignitur, quiq; in loco sit opportuno, siquidem in uentriculo et mesereis atq; iecore, cuiusq; pars euinci queat: si hæc conuenerint, ususq; & natura adfuerit, longa ieiunia ferent: necesse est autem & aliquid cœlum conferre.

Homines cur diu sine cibo uiuere possint.

Inter miracula hominis magnum illud censeri debet, quòd cuidam monacho Carmelitani ordinis, per annos tredecim perpetuos euenit: nam quoties capitium reducebat ad occiput, scintillæ ignis è capillis erumpebant. Atq; ea de causa ad cõuiuia frequenter uocabatur. Casu fiebat, quod etiam arte facere licet: in obscuro faciliùs, quoniam & sine igne multa splendorem ignis emittunt.

Scintillæ à crinib. hominis.

Plutarchus author est, in corpore filiorũ Pithonis Nisibensis, hastæ signum apparuisse, Spartanis conueniens: quod post multorum seculorum cursum, renouatũ est. Idq; maius quã quod retulit Aristoteles de muliere Sicula, quæ puellã ex Aethiope albã cùm genuisset, pronepos tamẽ Aethiopi similis natus est. Atq; huius rei propemodum infinita sunt exempla, sed non adeò clara atque admiranda ut illud Pithonis. Causas in Medicis disputationibus retulimus.

In hominibus post multa secula quãdoq; similitudo, & uestigia renouantur.

Recitat etiã idem Aristoteles fuisse hominem, qui sem-

3. Meteo-

Spectrum propriæ imaginis cur.

per ſuam imaginem ante ſe uelut in ſpeculo uideret. Id ſi ille non finxit, oſtentationis cauſa & leuitate Græca, certè ob ſolam uiſus imbecillitatem accidere non potuit, ſed accedente ad hanc etiam ſumma anterioris partis cerebri caliditate, ſpiritusq; uiſiui tenuitate, efflati quoque uaporis craſsitie, ut ſic tanquam è ſpeculo reflectieretur.

Scopeliani mirum.

Mirum quoq; eſt id quod Scopeliano, pontificis Aſiæ filio atq; oratori accidit: nam dum in cunabulis eſſet à fulmine occiſo fratre, qui unà cum illo natus erat, ipſe euaſit omninò incolumis, atq; per maximos labores ad extremam etiam peruenit ſenectutẽ. Sed ſunt fulgurum uaria decreta, & multo certiora miracula. Referunt enim, in Lemno inſula, ubi inſulæ cornu diuiditur, octo meſſores ſub quercu cœnantes, à fulmine percuſſos, atq; exanimatos mãſiſſe ſub ea ſpecie qua diſcubuerãt, ut unus comedere uideretur, alter ori poculum manu admouere, alius bibere. Cumq; nigri omnes eſſent, imaginem ſtatuarum totidem repræſentabant. Tantum in his, fulminis uis potuit, tam parum in illo.

Hominum à fulmine percuſſorũ, mirura.

Quidã ob termes Germanica lingua loquebatur, cum nunquam eam didiciſſet.

Atq; hæc licet magna ſint, maius tamen eſt quod Eraſmus Roterodamus in Oratione quã pro laude Medicinæ cõſcripſit, recitat: nam uidiſſe ſe ait uirum, nomine Phliariũ Spoletanum, qui cùm Italus eſſet, nec in Germania uerſatus unquam, pulchrè tamen Germanorũ lingua loquebatur quaſi dæmone detentus: quamobrem curabatur à Panaceo medico celebri: iſq; medicamento exhibito, magnum uermũ numerum eduxit, ſoluitq; hominem morbo, & linguæ Germanicæ uſu atq; ſcientia priuauit.

Varia mira de hominũ natura.

Quædam uerò pro miraculis habentur, & non ſunt: uelut quod recitat Albertus, ſe uidiſſe, inquit, hominem anno octuageſimo, cui naſcebantur dentes. Neq; enim adeò mirum eſt, cùm ſupra uigintiocto illos omnibus cõmunes, quatuor ſint qui ſapientiæ uocantur,

quiq;

quiq; post trigesimum annum oriuntur. Similiter uidisse se refert mulierem in Germania, cuius primogenitus ultimum quadraginta annis superabat. Fieri potest, quandoquidem ad sexagesimum usq; parere possit mulier. Puellam quoq; nouem annorum, quæ magnitudine unius anni uideretur. Gemini quoque adeò sibi inuicem similes, uoce, forma, sermone, ut uix dignosci possent, atq; hi mirum in modum se diligebant. Mulier cùm peperisset, à partu septima die concepit, genuitq; filium ex toto priori similem, quamuis non eodem partu ædisset ambos. Virginibus quoq; lac ui expriimitur à mammillis, non secus ac capris: nam mammillæ urtica uerberantur, quibus cõpressis exit sanguis primò, inde sanies, pòst lac. Mulier quoq; in Vormatia, Vangionum urbe, fuit uirilibus mammis, quæ tamẽ adeò prolifica erat, ut etiam quãdoq; uno partu geminos ederet. Talia plura contingunt mira, sed tamen uera, & à ratione non aliena.

Mira de somno & uigilia, & cur cõtingant.

Accidit sæpè quod aliâs retulimus, etiam dormiẽtes ita dormire ut uigilare uideantur, & ob id ambulant & aperiunt ostia, ac repagula amouent, uestes quoq; induũt: qua in re uisus est Aristoteles longè oculatior quàm Galenus. Cùm enim duplex sit sensus, interior atq; exterior, cõtingit in somno exteriorem uinciri, interiorem non: quod plerunq; fit, dum somnia uidemus, & rursus interiorem sopiri, exteriorẽ non: cuius exemplum Aristoteles dabat alibi, dicens: Ac primũ dormientib. nõnullis, accidit quodã modo sentire sonũ, lumen, saporem, atq; etiam tactus sensu fungi: leuiter tamen & quasi procul. Habentur etiã qui somno capti, leuiter suspiciebant, & lumen quod tum leuiter uiderant, ut putabant, idipsum experrecti continuò uerum agnouerint. Nec desunt qui gallinaceorũ cantu & canum latratu leuiter audito, eundem ipsum cùm edormierint, manifestè perceperint.

perceperint. Nonnulli etiam ex interrogatione respondent. Accidit enim in uigilia & somno, cùm unum eorum adsit, alterum etiam eorum necessariò adesse: quorum neutrum somnium esse existimare oportet: nec notiones eiusmodi sunt, quæ uerè per somnum percipiuntur, quæq; præter imagines adiunguntur: sed imago quæ ex sensibilium spectrorum motione affigurata, dormientibus animalibus repræsentatur, quatenus dormiunt, ea somnium est. Iam igitur tria habemus diuisionis membra: superest quartum, cùm simul uterq; sensus imperfectè uincitur, tunc enim & uoluntate & cogitatione deliberamus, & sensibus exteriorib. leuiter cuncta percipimus: atq; tunc per somnium quasi uigilantes operamur. Ex his solùm iudicantes nos dormire, quod utrunq; perperàm agimus, atq; leuiter in sensibus exterioribus percipimus, & in deliberatione aberramus: ueluti si cras cum socio equitandum sit, intempesta nocte, quasi iam orto Sole, surgimus. Confirmat id quod è diuerso sæpè contingit, ut quædam uigilantes agamus, ita ut paulò post nesciamus an uigilantes, an dormientes id egerimus. Aliquando mihi hoc contigit, cùm uidissem quædam mirabilia, non audebam interrogare alios, qui & ipsi uiderant, an uidissent: timebam enim, ne dormiens uidissem, atq; ita ridiculus haberer: & rursus in eodem periculo, quanquam non adeò euidenter, si uerè uidissem: obliuiosus enim nimis uideri poterã, atq; ideo uerebar hæc scribere: sed postquam Petrum Bellonium in libro de Eiulatu, animaduerti narrantem se quandoque Corcyræ cùm antelucano surrexisset, eiulantium strepitu perturbatum, uidissetq; mulieres nudis papillis undiq; per urbem discurrentes & plorantes ob luctum, denuoq; obdormisset, ubi hora congrua iam elato Sole surrexisset, narrasse quæ uiderat hospiti, somnij nomine,

mine, quod ea per somnium uidisse se existimaret: admonitumq; ab eo non iam per somnum, sed uerè uidisse, contigissequ: ita: iam tum utriusq; rei uerā causam nactus, ausus sum hæc mandare literis. Contingunt enim hæc maximè, ubi quis protinus, ut uidit, obdormiscit: aut maiore cura interpellatus reuocatur à cogitatione. Vtq; priora euenium dormientibus nō perfectè, tamen sensibus tam interioribus quàm externis obuolutis, ita hæc nō perfectè uigilantibus, quoniam sensus utriq; sint impediti. Cùm igitur tam in somno quàm uigilia huius generis propositi, sensus utriq; non perfectè torpescant, apparet aliud esse tertium in hominibus, quo somnus à uigilia discernatur, estq; uinculum mentis. Est igitur somnus, uinculum mentis cum impedimento sensus utriusq;. Vigilia uerò (in homine dico) mentis libertas, seu sensib. obuolutis, seu & ipsis liberis. Cùm ergo mens libera est, & sensus impediti, ut in somnolētis, quæ per uigiliam uidentur, per somnū uisa existimantur. Et rursus cùm mente uelata utriq; sensus parte aliqua liberi sunt: hi quæ uigilantes efficere solent, operantur: at si interior sensus solùm uincitur, hi uident aut audiunt, sed non deliberant: at si externi sensus obuoluti sunt, interiores non, hi somniant uerè: nec sentiunt, quæ se sentire existimant. Contingit igitur hominibus quibusdam tria hæc simul adeò iuncta esse, scilicet mentem, sensum interiorem & exteriorem, ut cùm dormierint, nec sentiant, nec quicquam somnient: alijs duo tantùm iuncta, tertium autem diuisum: quibusdam omnia sic diuisa, ut per somnum sentiant, atq; deliberent: & quæ per uigiliam senserint, somniasse se existiment: quorū exemplum in ebrijs percipitur: agunt enim ex deliberatione plura, cùm mente non constent: & quandoque sui satis compotes, multa agunt rursus, quæ somniasse se putant. Audiui

Somnus & uigilia quid.

quendam adeò diuulsis his tribus principijs fuisse, ut indueret somnians se, legeretq; supplicationes pro mortuis: ad uocantem Principem, cuius erat cubicularius, accederet, demum etiam interrogantibus responderet.

Dentes ut etiam post pueritiã renascantur.

Dentes hominibus perpetuò crescunt, donec homo iuuenis extiterit, nõ tamen renascuntur. In senio enim neq; crescunt, nec renascũtur, sed à radicib. diuelluntur: in pueritia utrunq; cõtingit: in iuuentute alterũ. Cũm enim auellitur lato ore, gingiua statim ab aëre læditur. Ergo si statim butyro & propoli repleatur, in plurib. dens renasci poterit. Atq; hoc ratione, non tamẽ experimento adeò compertum. Comperta tamen est differentia ortus atq; incremẽti. Ob id non curis, sed proprietatibus adnumeratur. Est aũt natura hominis quintuplex, partim ut elementũ, atq; sic uel inuitus cadit ab alto: partim ut planta, sicq; reuiresceit & germinat: partim ut animal, ob idq; uoluptatibus atq; doloribus agitatur. Est & diuinus, quo munere multa potest: de quibus tum superius, tũ alibi diximus. Verũm propria peculiarisq; natura, miserrima est: unde cùm primũ nascitur priùs quidem plorat quàm rideat, ostendens originis suæ calamitosam conditionẽ: cumq; primũm plorat, uigilat: cũm autẽ ridet, dormit: indicans uitæ huius infælicitates, futuræ autẽ ac succedentis iucundam ac lætam cõuersationẽ. Quidam etiam in utero plorare existimantur, qui cũm nati fuerint, aut exitium materiæ portẽdere, aut improbi futuri esse creduntur. Verùm non omninò hoc mihi compertum est, neq; an contingat adeò certum. Illud certius, mole, moribus, alijsq; naturæ proprietatibus quosdam usque ad miraculum uariari. Euthymenis filius tribus in annis tribus cubitis creuisse fertur, sed sensu hebeti uitaq; breui ac inualida, uox ei robusta fuit, incessus tardus. Referunt Lucium Flaccum

Hominis quintuplex natura.

Homo quãdo ridere & plorare incipiat.

Infans in utero plorare quid significat.

Varia humanæ naturæ miracula.

ac Metellum uidisse in Creta cadauer trigintatrium cubitorum. Nunc etiam homines in borealibus regionibus esse dicuntur, qui equum, uel bouem in humeros assumant, uas quoq; ferreum mille librarum. Audiuimus etiam olim occlusum quendam Olegianum, qui curruum rotas manibus suspenderet singulas singulis, eas'q; circũuerteret. Idem brentas uini tres simul gestaret, singulas singulis brachijs, tertiam dorso, hæ capacitatem complent amphorarum octo, seu librarũ DCLXXII. Inter mulieres fortitudine & prudentia Zenobia præfertur, licet infœlici exitu, regina Orientis. Amalasuenta autem Theodorici Getarum regis filia, uirtute atq; sapientia laudatur. Videntur autem hæc maiora, quò rarius contingunt.

Mulieres uirtute præstantes.

CVRA MORBORVM SVPERSTITIOSA. CAP. XLIIII.

NON simplex est hæc tractatio, sed et causas morborũ mirabiles amplectitur, & curas rursus mirabiles, & quæ ægritudines corporis humani partib. sanentur. Nuper dum hæc scriberem, ciuis noster Ioannes Baptista Mõdœtiensis, singulo die, sole exoriente, dolore capitis supra nares corripiebatur, inde crescebat dolor, donec sol meridiẽ attigisset: ubi decederet, minuebatur, sic ut sub uesperam cessaret. Quid hoc? nisi quòd sol ascendens, uapores sursum in corpore trahit, quibus cerebri membranæ uexantur. Trahit autem, quia lentus est humor ac frigidus, qui non remittit nisi ui solis. Vt uerò à calore non uidetur, nam post meridiem magis crescere: calor enim à meridie accẽditur, magis quàm ad meridiem: æstatis exemplo, quæ à solstitio initium ducit, non ante illud.

Capitis dolor solatiũ.

Quædam

Quæ insomnia mouent cur.

Quædam uerò sunt, quæ licet ad morbos non pertinent, supersitiosa tamen ob occultam causam esse dicũtur, uelut quæ insomnia mouent, maximè tristia: uelut caules, cepe, polypi caput, quod etiam in adagium transit. Et non solùm quæ eduntur, sed lapides gestati, uelut ex achatum genere quicũq; maximè rubent, aliq; plures. Horum omniũ causam scire oportet nam de polypi capite, adagium ob id factum est, quod tantum incommodi afferat nocturnis terroribus, quantum edendo, quod sit sapidissimum, uoluptatis. Omnia igitur quæ mala insomnia mouent, insomnia uideri faciunt: attamen non omnia, quæ insomnia uideri faciunt, somnum cõciliant: nam noster ille lapis, de quo aliàs dictum est, cùm insomnia uidere faciat, tantum abest ut dormire faciat, ut etiam strenuè uigilias inducat. Vt uerò sunt quatuor discrimina circa somnum, ita totidem circa causas. Quædam enim somnum aut uigilias faciunt, alia insomnia mouent aut prohibent, alia iucũda aut tristia efficiunt, alia demum uera aut inania. Causarum quoq; genera totidem forsan erunt, aut secundùm naturam, ueluti Garamantes non somniare existimantur: plurimum somniant, qui in regionibus ubi uenti flant, degunt. Somnolenti item in conuallibus, & in hyeme. frigidisq; regionibus: uigiles, qui in siccis. Alij, turbida somnia & terribilia uident: alij, iucunda. Quidam falsa, quidam uera, aut secũdùm cibos: castaneæ, legumina, caules, somnia falsa & terribilia immittunt: iucunda, quæ dulcem sanguinem generant. Et generaliter iuxta humorum generationem, cibi abstinentia mediocris uera: nimia autem, tristia facit. Et animi cogitationes quales sunt, talia somnia faciunt. Vnde Caium Caligulam terreri solitum in somnis referunt: id non tam natura, quàm sceleribus ipsis euenisse puto. Similiter & sensuum

ſuum actiones per loca amœna ire, intereſſe iocis ac ludis ſomnia affert iucunda: bello & tumultibus, triſtia. Inde amuleta & preces, ſomnia uera exhibent. Nam de ſomniis terribilibus haud dubium eſt, quæcunque turbulenta generant, talia mouere: generant autem omnia acria quæ malè olent, & quæ flatus: etenim ciunt motum in ſpiritibus cum uinculo, uelut cepe, allia, porri, fabæ, caules, caput polypi. Maximè autem talia generantur, cùm in ore uentriculi fuerint: uel iuxta illud. Styrax quoq; talia excitat copiosè bibitus, & ieiunium exquiſitum. Somnos autem ſimpliciter, odores, & potus ex his quæ uehementer infrigidant & humectant, præterea anethum & iuncus leuis, inunctiones & balnea. Quæcunq; uerò ſomnos conciliant, odoreq; & ſapore acri ac tetro carent, ſomnia iucunda mouēt: magis autem mitia, ut uiolæ & nymphea, lactuca quoque eſt ex his. Imaginari etiam amœnos receſſus, pratáq; uirentia, & fontes ac flores, conualles, umbras, puellas, ſtellas in nocte ſerena atq; tranquilla, inſomnia iucunda mouent & ſomnum pariter: uelut & inter gemmas ſmaragdus, quia uirei ſplendore iucundo, & achates uirens: rubeus autem terribilia, niger triſtia, uelut & ſardonyx. Referunt, & genus eſſe cryſtalli cœruleo colore, qui iucunda ſomnia efficiat. De hyacintho aliàs dixi. Generaliter uiridis, croceus, & cœruleus, hi quidem remiſsi: uiridis autem intenſus cum ſplendore, ſomnos, ſuaueſq; excitant: uelut & croci odor aqua uiolacea cōſperſi. Non parum eſt iucundè dormire: nam præter uitæ auxilium, quibus nulla ſunt inſomnia, his temporis totius pars tertia perit: quibus tetra eadem pars eſt in cruciatu: quibus læta tanta pars accedit ad uoluptatem. Sed hoc diuinius eſt, futura aut ignota intelligere: utrum id contingat, nemini dubium eſt. Verùm an certa ratione, an fortuitò, multi

ò multi dubitant. Etsi modò certa ratione, quomodo uanæ à ueris dignoscere licebit: Cur etiam fiant quæ uera sunt, dicemus infrà, cùm theorematicorũ, allegoricorumq; causas explicare cogar. Quomodo uerò fiant, quæ uera sunt, nunc locus dicendi est: atq; ex his perspicuum erit, quantum ars euentum iuuare possit.

Principiò in omnib. natura præferenda est: nostrum genus ita somnijs ueris ex utroq; parente assueuit, ut res mira uideri possit. Sic Galenus de seipso etiam ac patre refert. Post, est locus: in tẽplo Aesculapij, ægri uera somniare soliti erant. Existimatur, eum qui ouina in pelle dormierit, uera somnia uisurũ. In sepulchris quidã dormierũt huius causa: alij solũm apud, uelut Aristotelis. Causam uel ingeniũ, de quo dicã, uel in locum, uel in affectũ referre oportet. Omninò uerò decet esse uacuũ ab animi perturbationibus, & bona mente, tum uerò cibo mediocri atq; simplici uti. Veritati quoquè perquirendæ intentum, non ab affectu trahi in partẽ. Demũ orare Deũ, ut talia ostendere dignetur. Quòd si quis operibus pijs, sanctisq; animum adhibeat, nõ leuiter proficiet. Quæ uerò de beata Helena referuntur, forsan ueriora sunt ad impetrãda somnia, quàm ut in crystallo uideantur. Cùm uerò obiter tractata res soleat non bene intelligi, quæ uerò magno cũ studio intelligatur, somnia in quibus uersatur homo, & non confusa sunt sed sibi consentientia, & quæ animã uehemẽter afficiũt, & clariora sunt, concoctoq; cibo, & post parcã cœnam, exorientéq; sole, uerissima sunt & euidentia, addidimus & aliâs, ut recta imago nobis obijciatur: talia ubi expergiscitur homo, animã admiratione plenã relinquunt. Certa ergo ratione uera fient somnia, ubi nouem illa superius enarrata affuerint. Quòd si uel locus, uel amuletũ, uel natura hominis iuuerit, quando-

Insomnia uera quomodo fiãt.

quidem

quidem hæc non tam in nostra sunt potestate, longè tutius pronuntiabimus. Tametsi uerò omnia perfeceris, non tamẽ omnia sunt recipienda, sed seligenda: quòd nihil inter mortalia toto genere perfectũ & absolutũ sit. Terminus autem abstinentiæ ciborum & uitæ sanctioris, & tranquillitatis, quoniam hæc omnia mediocria esse debent, nullus præfiniendus est: exquisitioris uerò cõtinentiæ in omnibus his, tum precum & cogitationis, intra quadragesimum diem finiri solet. Spontanea tamen somniorum uisio, semper quæsita, paribus in causis, securior est: quod illa ex largitione ac liberalitate à dæmonibus habeatur, hæc extorta uideatur. Optimum est igitur hæc facere, sed de somnio non cogitare. Cùm enim adeò anxiè quæruntur hæc, seu dare coganturquod nolint, seu deludere hiantes fas putent, aut ne fatum peruertatur, ambigua & fallacia præmonstrant insomnia: licet tamen his uti cùm à Deo quæruntur, nec tantum adhibes fidei, ut naturali ratione relicta, somnijs confidas: hoc sapientis & religiosi uiri munus est.

Nam somnia nonnulla, à ratione naturali diuinationem nanciscuntur, quam tam turpe est negare, quàm damnosum negligere. Huiusmodi Hippocrates & Galenus amplectuntur, sed nec alia genera contempserunt. Fuit mos antiquis, somnia meticulosa nemini patefacere, sed sibi soli enarrare, itemq; auerruncare, ac quasi auertere. Id quomodo fieret, ex Persio discere licet:

Hæc sanctè ut poscat, Tyberino in gurgite mergis
Mane caput bis terq;, & noctem flumine purgas.

Quæsitum igitur est iure meritò, unde ueritas somnijs & cur allegorica? Aut igitur quemadmodum in cœlo uiformæ sunt animalium atq; plantarum, atq; certi generis, ita ut colubris aut rosæ. Hæ autem causæ pro effectuum natura

Insomniorum ueritas unde.

tura obſunt, aut homini proſunt: imagines igitur non ex cibo aut humore, ſed aſtri ui, à ſimilibus cauſis excitatæ in ſomnis, declarant cauſam eam homini illi commiſceri: ob id igitur eo modo homo afficietur. Videt quis ſorbere ſe flumen: fluminis cauſa præpotens eſt, & quæ oppreſſura ſit priuatum quinque: ſorbet id, indicat intus & in penetralibus ingreſſuram. Cauſam igitur præpotentem, uiſcera eius commoturam declarat: non ferente igitur homine tantam commotionem, mortem portendit. Alius modus eſt, ut dæmones id oſtendant: non tamen clarè, ne uel fatum impediant: uel quia commodiora inſtrumenta docendi non habeant. Nos enim docemus canes & equos, qui ſi loqui poſſent, ſe longè melius doceri poſſe cõtenderẽt. Vel ut ſic adigant nos ad ipſorũ ſeruitutẽ, interpretes ſomniorum conſulendo, aut quia ſic coargui non timeant, ſi aberrent.

Tertius modus eſt, ut hæc uis non in imagine, ſed interpretis anima poſita uideatur, dæmone docente. Vnde ex ijſdem, non eadem prædicunt. Cæſari, quod uiſum ſibi eſſet cum matre concumbere, prædixerunt interpretes, dominũ futurum orbis terrarum. At Hippias Athenienſis cũm in Marathone barbarorum exercitum duceret, ex eodem ſomnio nihil plus lucratus, quàm ut ei dens excuſſus iaceret in terra, tantum ſcilicet terræ poſſeſſurus, quãtus dens ipſe eſſet. Ergo uis illa eſt in anima diuinantis, quia genio hæc habet. Prima quidem ratio abſolutior, ſecunda facilior, tertia utriq; ſeruit æqualiter. Si quis obijciat de petentium ſomnijs, reſpondebimus animam intentam negocio, cauſas uel leuiſsimas præſentiſcere: ſemper enim homo dum uiuit, cauſis aliquibus, imò pluribus commiſcetur, quas cũ ſentit imminentes, etiam affectus cœli cognoſcere poterit. Anima enim noſtra tanquam ſpeculum.

Verũm

Verùm ut ad rem reuertar: postquàm naturaliter somnia humoris dominantis qualitatem significant, fieri potest (cùm tria sint somniorum genera, à cibo, ab humore, à causa superiore) ut in duobus primis iucunda, in tertio uera habeamus. Tẽperantia scilicet cibi & potus iuxta singula, propriè autem purgatione iuxta secundum genus, & sanctitate uitæ, ueritatisq; amore iuxta tertium. In uniuersum igitur, omnia somnia uera sunt, aut enim noctis initio & cum sanitate fiunt, mutanturq; mutatione ciborum, & tunc à cibis proueniunt. Bonum igitur est in his perseuerare, quæ iucunda pariunt somnia, & absq; perturbationibus: abstinere ab his autem quæ tristia, terribilia & cùm grauitate, & impedimento. Si uerò iuxta mediam noctem & cum perturbatione, perseuerantq; diu, nec tamen eiusdem sunt argumenti, tunc humores significant. Si igitur iucunda & cum leuitate non mutare corpus: si cum timore, tristitia, grauitate, cibum minuere nutrientem, purgare corpus. Si uerò iuxta diluculum longa, clara, nec tum diu perseuerant, sed uel una, uel altera die à cœli imaginibus fiunt, imminẽtiaq; portendunt. Quæ uerò præterita referunt, ad cibos, ad humores, ad cœlum referri possunt. nam quæcunq; uidemus, ex uisis ortum habent. Cùm uerò miscentur, tunc uana apparent, sed non sunt: uerùm non facilè est interpretari. Et cùm interpres non bonus est, & cùm genus ad genus aliud refertur, uelut si cibos referat ad humores. Et cùm non rectè meminit.

Insomnia omnia uera sunt.

Insomnia falsa uidentur quatuor causis.

Medicata pocula.

Sed ad rẽ reuertor: ex hoc genere est poculorum ratio, iuxta lignorum naturam, aduersus uenena & lienis uitia, è fraxino: iuuaret ex auro, si quæ bona sunt tam facilè nobis communicarent, quàm mala: alia piccata, qui mos fuit antiquis, uelut aduersus comitiales cum peucedano, Talia ad

ueram medicinam pertinent, tametsi ob desuetudinē superstitiosa uideantur: sufficiat autem in omnibus exempla adduxisse: & pro exemplis, principalia quædam auxilia.

Canis rabidi morsui.

Maius est quòd in canis rabidi morsu, uaria afferuntur experimenta. Quidā cùm à rabido cane morsus esset transfixo pollice, panis crustā, ut à latere uides inscriptā, tribus sumpsit: quinquiesq; dicta singulis uicibus ieiunus precem dominicam dixit, pro quinque uulneribus Christi, quæ moriēdo accepit, necnon pro clauibus, ut dicūt: seruatusq; est immunis à maximo periculo. Res ita se habet, sed causa admodum incerta est. Videtur enim rabies primùm quandoq; falsa, cùm miseri anes in fugam acti pro rabidis habētur: atq; ita seruari à rabie, quæ nulla tamen est, frustra creduntur. Ipsi uerò canes etiam rabidi quosdā afficiunt, quosdam non: & hoc multis ex causis: aut quia exigua est, atq; ita paratos afficit, aliorum neminem: aut quia cùm quædam sit proprietas non satis manifesta, non omnes afficere potest, ut neq; aliarum ulla: aut quia, in hominibus quædā sunt proprietates, ueluti in cæteris animalibus: multi enim à canibus rabidis morsi, facilè corripiuntur, non ita anseres: ita hominum natura huic, uel huic animanti similis conspicitur: aut quia homines contraria natura sunt, uelut humidiores non afficiuntur ita, unde rarissimi, imò nulli (quod uiderim) infantes rabie corripiuntur: neq; fortes, ut timidi: neq; qui purgationes habent consuetas: aut ex uulneris qualitate: ubi enim multus defluxerit sanguis, spuma

S	A	T	O	R
A	R	E	P	O
T	E	N	E	T
O	P	E	R	A
R	O	T	A	S

illa

illa cum sanguine simul exit, & si uulnus amplum existat: aut si uni in carnosa parte, alteri in neruosa: uel ex syderum uaria constitutione, uel quia affectus in cane nondum est plenè cõfirmatus, uel iam minui ob uitæ imbecillitatem incipit: aut ob uarietatem auxiliorum: quædã etiam minuunt affectum, quæ auxilia non esse creduntur, alia augent: aut ob dispositionem hominis præsentem ieiuni, irati, ad morbum parati. Nimis longum esset, si cuncta referre uelim. Itaq; multis modis cõtingit hunc effectum frustrari, cùm uideamus ab uno cane rabido, plures quandoq; quàm à centum alijs similiter rabidis interire: ut quasi fatale uideatur homini illi, qui rabie correptus interierit. Quòd si pro ratione numeri rabidorum canum homines interirent, non adeò pauci hoc morbo interirent. Sed cùm tam multi euadant, & medicinæ, & superstitioni, & miraculo locus amplissimus datus est. Forsan etiam confirmato animo ex superstitione, cùm morbus hic, non nisi ex aquæ timore oriatur, tales euadunt. Vnde uidemus ex diuersis admodum generibus superstitionum, eundem tamen effectum sequi. Sed & de hoc etiam aliãs.

Quæ uerò odiũ inferunt, aut amorẽ, societate constãt: putrida maximè horremus, ut odor magis quã sapor displiceat: inde coniuncta his tædiũ uelut uini, lactis ac cæterorũ: inter cætera uerò quæ magis corrumpuntur, nec tã tetro odore sunt, uelut erytrinus: nã quæ fœtent multum, non facilè bibuntur: & si bibantur, non continentur, sed statim euomuntur: ita etiã sensim amaris assuescimus, & fœtidis, & uenenis, cum contrarijs eorum coniungantur. Quomodo natura immutanda.

Illud uerò quod contigit Carolo Zeno, Venetorum duci clarissimo, supra fidem est: nam cùm uulnus accepisset in genu lethale, nec imposita medicamenta quicquã profi- Caroli Zeni uulneratì cura mirabilis.

cerent, referunt Gallogræcum medicum sano genu medicamentum imposuisse, ex quo conualuit. Ergo certè cùm neq; rem uiderim, nec de ueritate satis constet, diuinare non possum. Sed si ita, uel sic est intelligendum, quòd colligatis cruribus inuicem, medicamenta perferente parte sana ut magis ualida, & doloris experte, conualuerit: uel quod facta comparatione ægram ex sana dignouerit: uel quod appositis medicamentis super partem sanam, morbum ab ægra distraxerit, uel etiam infirma parte adeò imbecilli calore incolumis fouerit, tot modis citra præstigias uidetur curata pars una, alteri opem afferre.

Cepe cur lachrymas cieant.

Quæri solet, cur cepe lachrymas cieant? non ob acrimoniam, quia nec allium, nec piper, cùm sint acriora. oleum illitum cit lachrymas, non nisi quia lentum sit: at cepe quia acris, oculos ferit: quia lenta, humorem educit. Quid igitur lentor facit (nam hoc de cepis à Rhodigino scribitur) ut lachrymas cieat? Quia oculus multos habet spiritus, unde ex eo multa perpetuò fit resolutio, quæ cùm impeditur, aut nimis properè prouenit, aut cogitur, lachryma prodit: impeditur à lentis, cogitur à frigore, properè exit uel ob gaudium, uel ob dolorem, uel ob æstum cerebri: atq; his omnibus causis oculi lachrymantur.

Puella plus urinæ emittens quàm põderaret.

Contingit etiam quandoq; mirabiles morbi, & inter reliquos anno salutis M.CCCCLXXXI. puella octodecim annorum mingebat singulis diebus urinæ libras circiter triginta sex: assumebat autem ex potu ac cibo non plus septem libris: itaq; factum est, ut singulis diebus emitteret circiter libras uiginti nouem: cumq; hoc sexaginta diebus perseuerauerit, conuenit ut in his sexaginta diebus emiserit ultra cibi & potus substantiam, libras M.DCC XL. hoc autem est longè maius pondere puellæ, etiamsi tota in urinam fuisset resolu-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p0650-1 DFG

resoluta: nam puella non poterat excedere ad summũ, pondus CCL librarum, cùm neq; attingeret CL. Itaq; quæsitum fuit à Ioanne Marliano unde hoc contingere posset? respondit, aërem qui in arterijs ubiq; contineretur, in substantiam aqueam conuerti, eáq; eiecta alium succedentem similiter conuerti in aqueam, atq; ita multiplicari. Quòd uerò omnium maximum fuit, puella hæc post duos illos menses exactos, sanata est à Francisco Busto Medico. Existimandumq; est, cùm illo tempore bonæ literæ adhuc laterent, & cum his Græci authores, curatum fuisse uia & iuxta doctrinam Rasis in nono ad Almansorem, & Auicennæ. Hoc autem aliâs à patre audieram, sed non satis fidebam: inueni postmodum totam historiam descriptam. Quidã etiam retulit mihi uidisse impressam, sed nomen libri referre nesciuit. Et quamuis Marlianus materiam urinæ generandæ edocuerit, quod facillimum erat, quandoquidem nulla alia esse posset: nihilominus quod obscurum fuit, non declarauit, causam scilicet efficientem. Hæc fuit, ut uerisimilia referam, frigida & humida intemperies cum leuitate superficierum arteriarum & membrorũ, per quæ urina permeat, scilicet renum, uretarum, ac ueficæ: propter quas causas, uapores omnes qui in aëre humido continebantur, in aqueam substantiam uertebantur. Et ob id credendum est, tempus tunc fuisse humidum: nam & hoc in marmore templi augustioris Mediolani uidemus. Et ita constitutione cessante, sanata est potius quàm auxilijs, quamuis & illa nonnihil profecerint.

Porrò corporis morbi omnibus noti sunt, tam his qui assistunt, quàm qui habent: animi autem his qui habent, omnino ignoti sunt, alijs etiam non adeò. Quamobrem apud barbaros, & maximè Dei nomen ignorantes, quasi pueri

Vnde mirabilia hominibus.

certatim sibi figunt dæmonas ac mortuos eorumq; societatem, non ob aliud quàm ut quòd si sani essent, negarent tametsi uerũm: nunc cũm falsum sit, pro laude ducunt quod omni laude uacat. Quòd si nos aliqua testati sumus in hoc genere, ueritatis studio fecimus, non iactantiæ: nam & honores spreuimus, & Principum gratiam nõ affectauimus, posiquàm posse uiuere cœpimus: & opes neglexímus. Itaq; hæc nos fecimus, alium nobis finem proponentes humanæ uitæ quàm communem, seu errore ducti, seu aliquo numine, seu certa ratione: at quæ uituperanda sunt, si quis uehuti laude digna & maximè falso sibi ascribat, helleboro dignus est. In hoc itaq; genere fuêre Indi occidentales, strygæ apud nos, leuiumq; hominum non exiguus numerus. Vt omnes qui talia narrant, sint aut omninò simplices, aut improbi, aut stulti: nisi hi qui nimio ueritatis amore tenentur, qui numerum non faciunt. Ego si ueritas à Deo aliena esse posset, non magnifacerem utrum de Deo propter ueritatem malè sentiret, an de ueritate propter Deum. Sed hæc tractatio alibi peracta est.

Inunctionis mirabilis.

In Peru regione iuxta Bilcam, uidisse se refert Petrus Cieza Indũ, qui pro castrato curauit ancillã suã, quæ ulcera in pudendo habebat, ob idq; dolitabat, sola inunctione ex pinguedine cui immixtus erat puluis herbæ ferentis florẽ luteũ, siccatæ, imò exustæ igne candelæ. Quid mirũ, si ex genere uenenorũ sit, cùm apud nos argentum uiuũ idem faciat, napellus etiã prudẽter adhibitus. Erat & in eadẽ prouincia usus cuiusdã herbæ, quæ odorem tetrum ab ore auferebat, dentesq; dealbabat mirum in modum, affricata horæ spacio: nec tamen istud mirum omninò est.

Quædam etiam à proprietate, & quædam à similitudine, miro modo liberant: à similitudine, uelut uesicæ bouis

tres

tres coctæ in aqua, ebibita aqua, siccatisq; uesicis, ac cũ aqua ebibitis, dicunt omnes morbos uesicæ sanari, præcipuè uerò urinæ incontinentiam. Et similiter cùm à simili transitur in simile, uelut ad eosdem morbos ericij terrestres non solùm, sed & marini prosunt: & marini quidem ardori plurimum prodesse creduntur. A' proprietate etiam, uelut tineæ & alopeciæ, loto capite cũ decocto furfuris, abiectoq; furfure inungitur oleo, sale, succoq; hypomaratri, seu fœniculi parui, seu tortuosi. Ambrosiam quoq; producere uitam in longissimum æuum pleriq; affirmant. Italia quoque hanc herbam, licet raram fert: sed si feratur, non reijciet: facilè dignoscitur, quòd sola suo semine quemadmodum copiosum fert uinum, suauiter redolet: racemosa est, ruthæ folio, radice ualde longa exiliq;, nunquam floret. Vsus igitur herbæ huius, uitam producere creditur: nec ratione carret, quod ex proprietate fit.

Vrinæ quæ non retinetur.

Tineæ & alopeciæ.

Vitam longam quid efficiat.

Caret aũt ratione quod dicunt, nodos in umbilico ostendere filios ex eadem matre nascituros: aut enim simpliciter atq; hoc superstitiosius astrologorum prædictionibus. Fieri enim potest, ut moriatur, aut casta uiuat, quæ plures sit habitura filios: aut non simpliciter, sed quia potest: hoc autem modo plures nodos pleræq; habebunt, atq; uni coniuncta uiro plures, alteri pauciores: quod esse non potest, ut simul diuerso numero comprehendantur, aut maximum numerum continebit quomodocunq; coniungatur. Cùm ergo rarissimè contingat hanc potestatem non frustrari: aut enim non commodè coniuncta erit, uel etiamsi commodissimè, morbis, alijsq; occasionib. impedietur: quomodo igitur sciri hoc potuit, quod nunquam fermè accidit? Dicendũ igitur erit, fœcundos uteros, plerunq; plures nodos parere in umbilico, steriles autem paucos, nec ad unguem distinctos, ut euentũ

Filiorũ multitudo quomodo dignoscatur.

Problema tum ueritas quomodo exquiratur.

persæpe cõcordare uideantur. Atq; hoc modo, problematum ueritas exquiritur.

Guanorę sepulchrum.

Refert Hector Boëthius, Guanoræ cuiusdam beatæ mulieris in Scotiæ sepulchrum, si qua mulier calcasset, perpetuò sterilem euasisse. Ita & sanctæ fœminæ obsunt potius quàm prosint. Contigisse potest ut fortuitò aliquibus id euenerit, inde aliæ metu suppresis aut corruptis imaginatione mensibus, tales euaserint. Vel quod aliæ tentare non auserint, aut quòd in solo fuerit quod sterilitatem afferat. Hoc enim haud dubiè contingere potest: ita omnia credamus potiùs, quàm quòd qui boni sint, malè faciant.

Cur ægri qdã uerè uidere mortuos se arbitrentur.

Sed quid est quod multis per morbum mortuos, aut dæmonas uidere contingit? atq; adeò constanter, ut sanati uidisse se affirment. Velut Alexãder ab Alexãdro de seipso testatur: cùm (inquit) Romæ ægra ualetudine oppressus essem, iacerem q; in lectulo, speciem mulieris eleganti forma mihi planè uigilanti obuersatam fuisse: quàm cùm inspicerem, diu cogitabundus & tacitus fui, reputans nunquid ego falsa imagine captus, aliter atq; res esset aspicerẽ. Cumque meos sensus uigere, & figuram illam nusquam à me dilabi uiderem, quæ nam illa esset, interrogauit quæ tum subridens, & ea quæ acceperat uerba respondens, quasi me planè derideret, cùm diu me fuisset intuita, discessit. Forsan quis eum falsi accusabit, sed de hoc in libris de Arcanis dictũ est. Nihil aũt referre puto, seu is uiderit, seu alius: constat enim hæc fieri posse secundum naturam, & citra dæmonas: hoc enim nunc est nostrũ institutum. Igitur ægrorum quidã nihil uident tale, quidam uident: & horum, quidam reminiscuntur, quidem non. Eorum qui reminiscuntur, quidam existimãt omnino se uidisse, quidam agnoscunt se non uerè uidisse: cur igitur hæc accidant, inquirẽdum. Qui non uident,

uident, aut cerebrum non afficitur omninò: aut si afficitur, non superatur: quoniam igitur morientibus cerebri uires imbecilles fieri necesse est, ideò omnes uident. Non tamen sentimus in aliquibus eos uidere, quia motus exteriores cessant. Hi igitur nihil uidere existimantur, in quibus cerebri temperamentum tardiùs corrumpitur, quàm uires abolean tur sensus ac motus: quibus citius, hi omnes uident. Qui igi tur uident in morbis, hac de causa uident, quòd cerebri tem peramentum corrumpitur, & spiritus extinguuntur, & ua pores ad cerebri uentriculos ascendunt. Morbi autem hæc omnia facere solent: qui uerò cerebrum non petunt, ut in diarrhœis & abscessibus duris membrorum inferiorum, & hæmorrhosagijs & talibus, mortuos aut dæmonas, ni si prope mortem (cùm, ut dixi, discerni nequeat) non o stendunt. Qui uerò uident & obliuiscuntur, quasi est, ac si non uiderint, quod ex toto mens turbata sit, & uarianti bus imaginibus, seu intercepto interim sensu, uelut in pro fundè dormientibus cessat memoria. At qui uident, dum uerò recordantur, agnoscunt se non uerè uidisse, sunt hi in quibus ualidi sunt sensus, licet à nimio humore præpedian tur, uelut de Ossiandro aliâs diximus. At si sensus imbe cilliores sint, aut quasi dormientibus nobis, aut cùm ieiuna mus, quia reliqua non immutantur, uelut lectus, tigna, dies, hora: memoria enim manet, & sensus exteriores, in his uerè uidisse, uereq; audisse arbitramur. Et in uniuersum hoc ac cidit in ecstasi, quæ media est inter somnũ & uigiliam: hæc autem leuis sit oportet.

Magna & miranda sunt naturæ nostræ arcana: mulier quædam quæ habitat in orientali porta, uxor artificis can narum, uigintiquinque filios enixa est: atque ea fœcundi tas primùm mira fuit. Ex his, duos intra decem menses am- De duobus fratrib. mu- tis.

bos mutos, surdosq́, qui ambo superuixerunt, uiuuntq́. Primùm cum tribus molis, secundum cum duabus non solùm mortuis, sed putrefactis. Dum eos in utero gereret, non quemadmodum in alijs se habuit, sed in imo uentris pondus quasi plũbi sentiebat: uerisimile est, adnatas molas suæ frigiditate (sunt enim quasi sanguis congelatus) cerebrum læsisse: inde auditum & uim loquendi hebetatam, maximè cùm computruerint: læso autem cerebro fœtum descendisse aliquantulum, tum ea ratione, tum molarum pondere grauatam fuisse admodum. Sed & imaginatio rei plurimum potest: & maximè in prægnantibus. Nam prima uis huius uirtutis, est in uenere: cùm illa enim maximè excitatur, aut extinguitur. Secunda est in somno (ut aliâs dixi) unde ego cùm audio Polyphili historiam, statim dormio. Tertia est uomitus, ut enim fœda quasi sub oculis proponimus, statim nausea excitatur. Quartus locus est in prægnantibus, quæ fœtus maculis ex desiderio inficiunt. Quinta uis est in somnis, quorum memoria, horripilatio, & quandoque horror nos inuadit. Post hæc, uires obscuriores sunt, ut mingentium.

Imaginatio quibus in causis pluri mũ possit.

Sed tamen mortis imaginatio potens est, quæ si sit magna, secundo loco reponi debet. Quæ aũt causam habent, plus posse uidentur quàm ut simplici imaginationi tribuendum sit, ut expectatio tormentorum, metus Principis, res peragenda supra uires: hæc enim trepidationem, et mortem etiam quandoq́ inducere solent, concussis spiritibus: quemadmodum fieri solet in turba quæ magno in timore est: fleuisse quosdam cùm uellent quis dubitare potest, cùm & pueri iam diu maximè iniustè cæsi proruant in lachrymas? sudant alij eadem ratione æstum imaginantes, alij oscitãt, alij rident etiam nolentes, quod risu digna imaginantur: uoluntati enim

tati enim hæc uirtus paret, illi & huic pleraq; talia: id uerò & timidis & assuetis magis contingit, humidioris q; naturæ, unde pueris ac mulieribus maximè: in his enim omnia hæc sunt. Et quibuscunq; ualidiores sunt mentis motus ac sensuum. Quibus uerò aliquid deest secundum naturam, his plerunque abundat aliud quasi præter naturam, aut naturalium aliquid præstantius est, ueluti cæcis, auditus, aut tactus: quibus autem plus aliquid, Aristoteles putat non habere usum: atq; ita plerunq; euenit, non tamẽ semper: etenim Cœlius Rhodiginus scribit uidisse Bononiæ hominem pauperem, utraq; manu, utroq; etiam pede sedigitum, qui tamen omnibus digitis uteretur integrè, nec aliter quàm si tantùm quinq; digitos in singulis manibus ac pedibus habuisset. Hi tamen deficiunt alijs in partibus ut plurimum, quod uitiosam habuerint generationem: & quasi monstrosi non exactæ mentis, & infortunati. Existimant autem fœtus contineri, si uermis qui in gramine inuenitur uiuus, & antequàm terram tangat collo suspendatur: diximus aliâs de ætite lapide. Sed uerius est, nodos ligneos è uisco quæ quercui adnascitur, id genus conuulsionis sanare quòd à flatu fit, nostri gramphum uocant. Debet superponi loco patienti, ut statim diffugiat: pingui sicco, tenuiq; præditum est id lignum, aut occulta ratione.

Homo sedigitus.

Abortũ prohibentia.

Cõuulsioni à flatu.

Similiter referunt squatinam, mammis mulierum superpositam, adeò illas constringere, ut uirginum mammis assimilentur: atque id compertum experimento Rondelletius refert. Est autem frigida & sicca natura squatinæ, & quasi humanæ naturæ contraria, quamobrem & à recenti id magis fieri posse crediderim, & ab omnibus cartilagineis, & in puerorum genitalibus pari ratione.

Mãmis mulierũ coẽcendis.

Pili è mammis curẽ

Pili è mammis (postquàm in mammarum mẽtionem incidimus)

cidimus) non prodeunt, quoniã nutrix talia deuorarit: sed Rondelletius affirmat, uidisse uermiculos è mammis mulierum exeuntes, acum quoq; è brachio, cũ aliquot annis in eo latuisset: nobis uermiculi minimi, ut uix discerni queant, in urina iã diu apparent. Non negarim tamen etiã, ueros pilos lactationis tempore ad mammas peruenire posse, quoniam attractrix uirtus in eis tunc ualida uigeat.

Dentiũ dolor qui mirabili modo sedabatur.

Multa enim sunt quæ quibusdam propria sunt, & mirabilem euentum sortiuntur, latente causa. Nuper cùm hæc scriberem dolor acerbissimus duos ultimos maxillæ sinistræ superioris dentes uexabat: unde consensu quodam, & alios omnes superiores eius partis dentes affligebat, & maxillam totam adeò ut os excuti uideretur: ium etiam oculum & aurem, & nasi partem eandem uehementer urgebat, nec ullo auxilio abscedebat, sed intermittens quandoque, reuertebatur. Dextra manu dentes apprehendebam, distrahebam, nihil proficiebam. Tandem casu aliquo inueni, quòd ubi sinistra manu leuiter apprehendissem dentem qui magis uexabatur, ita ut pollice partem exteriorem, indice interiorem comprehenderem, statim non solùm dolor illius dentis, sed & totius partis sedabatur. Illud uerò mirabilius, quòd quanto lenius tangebam, tanto celerius ac perfectius dolor sedabatur. Fiebat autem sedatio hæc confestim: & hoc cùm rediret dolor, sæpius plusquàm uicies sum expertus, donec sic sponte abscessit, & liberatus sum. Narrabat mihi Lactantius Florentinus uir grauis, & olim à secretis Pontificis maximi Clementis quinti, & nunc Principis Florentiæ, quòd cùm ei manus sinistra præcisa aliquando fuisset, & Norsiæ medico dextra, dum simul famularentur, quisque affirmabat in trunco brachij sensus digitorum mansisse, iuxta neruorum in digitos descendentiũ ratio-

Mẽbris præcisis sensus manent & consensus.

rationem. Et quod mirabilius est, pruritu eos neruos in memoriam quasi digitorum uexante, alterius manus digitorum correspondentium scalptu cum ore, pruritum in neruis cessare solitum: adeò consentientibus partibus superioribus cum inferioribus, ac dextris & sinistris, ut etiam superius dictum est.

Cùm membra compressa detinentur, spirituum transitus prohibetur, unde torpent adeò ut non tutò homo illis se committat, sentiturq; stupor: uelut & oculus dum inflammatione laborat, cæcitatem: at uerò præter id uellicationem quandam, uelut formicarum: ea fit quoniã partes inæqualiter afficiuntur, stupidæ enim sanis cohærent: quamobrẽ hic affectus & ob impotentiam, & ob doloris speciem quandam, grauis persæpe homini est. Nihil autem præsentius quàm membrum totum uehementer extendere ac fricare, uel alterius lateris manu, pollice apprehenso, pedem patientis cruris eleuare. Torpori sanando.

Apparent autem in quibusdam hominibus res monstrificæ, qualis in Augustino Barbadico patricio Veneto, qui cùm dissectus quod ex incerto morbo obijsset, inuentus est lapis in iecore iuxta felis uesicam grandior oliuæ nucleo: & quod magis mirum est, uiridis ad nigredinem declinãs, qui colos durioribus lapidibus solùm inesse solet: unde coniectura facilè assequi licet alectorium lapidẽ, si modò in gallo inueniri possit, in substantia iecoris potius aut uentriculi inueniri, quàm in ulla cauitate. Post quàm uerò in cadauerum mentionẽ incidimus, uisum est ut causam huius quæramus, cur nam cùm corpora merguntur (nam si non mergerentur, non suffocarentur) post duos aut tres dies aquæ innatent. Causa quidem est flatus, qui inter peritoneum & omentum gignitur: quod enim ita fit, ostẽdit tumor ille immensus Lapis in iecore humano. Causa cur cadauera aquis innatent.

mensus uentris præ cæteris. Videtur autem & tota cutis inflari, sed & pectus, at hoc non sufficit. Neq; enim mergerentur contento spiritu. Causa uerò quærenda est, cur adeò uenter in tantam molem excrescat: flatum enim constat esse: flatus autem ex humido generatur, cùm à calido dissoluitur: calidum autem ex putredine, putredo uerò quoniam pingue multum aqueo mixtum est.

Homines frigore quo modo perseant.

Qui frigore pereunt, mortis quidem initium à genitalibus suscipiunt. Indicio est, quòd mortuis genitalia inuoluta inueniuntur, atq; corrupta: quod etiã de equis diximus. neq; enim uidentur interiora mẽbra per se adeò à frigore afficiut corrumpantur, quoniam septis fulcita sunt: consensu autem exterioris & principalis sic afficiuntur, unde mulieres minus, genitale enim his intus est: unde iuuat ea fouere.

Leprosi cura mirabilia.

Referunt leprosos balneo eius aquæ, in qua cadauer abluitum sit, sanari. Sed de qua lepra agatur, haud compertum est: quædam enim scabiei pessimæ species est, alia ipsa elephantiasis. Similiter neq; obseruatum est, an semper id contingat, an forsan aliquando fortuitò: ratione tamen res ipsa non caret, nam materia quæ ad cutim propelli solebat, antipathia cadaueris à natura non amplius propellitur. Indita enim est hæc ratio contrarietatis, etiam in insectis, & eò magis in perfectioribus animalibus, & maximè equis ac canibus, ut odorem mortuorum sui generis refugiant: quantò magis humana natura, quæ admodum sensu prædita est, atque eo exquisitissimo. Itaq; occulta ui natura, non amplius audet transmittere exterius humorẽ peccantem: atq; eo magis si hæc patiente, hæc sciente fiant. At dices, retenta ergo maioris morbi causa erit: non, nam colligitur & unà emittitur per aluum, aut sudorem, aut alia uia: in quibusdam concoquitur: calor enim internus, ualidior

dior est. In quibusdam non sæuit, quia exigua res est: sed in cute, ob aërem, ob imbecillitatem, ob molestiam pannorum multum affligit, & amplum spatium occupat, & profundius depascitur. In quibusdam alijs diu latet, augetur, cogitur: etsi malum accedat regimen uictus, nec purgatio adhibeatur, tandem occidit. Iuuatur natura similibus, lac equæ bibitum à mẽsibus, uterus leporis, hirci testiculi adiuuant ad conceptum. Quædam certa ratione, pbu, scobs ligni cupressi, cortex mori, arthemisiaq.

Ad concipiendum.

Quædam etiam ueneficij potius quàm medicinæ loco habentur: sat sit leuiora recensere. Crepitus uentris, oua formicarum uel castanearum flores mouent. Cymini suffitus, pallorem: itaq; eo utebatur Portius Latro, ut studiosius uideretur. Maculosam faciem, uinum ebibitum in quo stellio quasi computruerit efficere, proditum est. Hoc ego non sum expertus. Verisimilius quod fertur de cyclamine: nam ebrietatem uino infusum parit, si uinum postea bibatur. Alij sal uino miscent, alij putant sordes aurium id efficere. Nympheæ radicem, obesse coitui, plures existimant: fieri potest, cùm flos idem efficiat, qui est imbecillior. Idem facit uitex: & de caphura aliâs dictum est. Mouent somnia terribilia, acria omnia quæ fœtent, & fabæ, ac lẽtes & caules: sed usu mitescunt omnia: ob id ualidius id efficere existimabantur semina leontopodij, & pycnocomi, drachmæ pondere: sed nunc herbæ, quamuis à Dioscoride descriptæ, ignotæ sunt. Porrò pro regula habendum est, omnia quæ somnum grauissimum mouent, mentem quoque mouere, & uanas imagines ostendere: qualia solanum, mandragora, apollinaris, halicacabum, mâlum spinosum, meconium, faba inuersa. Verùm ex solani speciebus eligere oportet, id quod folia ocimo similia habet. Verùm hæc fermè innoxia,

Crepitus uentris.

Pallori inducendo.

Faciẽ maculosam quid efficiat.

Inebriãtia.

Coitum impedientia.

Somnia terribilia.

Quæ mentẽ mouent.

cùm

cùm morbus cessauerit: reliqua quæ ex animalibus, præter polypi caput ueneficia sunt. Quoniam autem homini soli cor palpitat, ideò cùm stans aut supinus manens hoc sentit, cuspis ipsa iam palpitat: hoc autem contra naturã est, quoniam immobilis sit. Quòd si stanti palpitat, supino nõ, cor loco mouetur, & cuspis afficitur, sed non adeò. Si uerò neutro modo sentit hoc, sed cùm super latus sinistrum decumbit, alæ solùm uehementer mouentur, & supino hoc non aduenit. Verùm si se reuoluat, & manus sinistrũ latus tãgat, nec sentit, palpitat quidẽ cor & loco mouetur: cùm uerò sentitur, manu frequentia motus, nõ tamẽ decumbendo, leuissima est palpitatio, & cor immobile. In corde enim mobili, quælibet palpitatio maior uidetur. Trifariam autem palpitat, aut propter uenenum, aut flatum, aut sanguinis ipsius motũ, uelut in timidis. Melancholicis hoc symptoma familiare est, ob timorem: spiritus enim concitatur, à quo sanguis: & quia lien plerunq; in his afficitur.

Cor palpitat, quadrifariam.

Pueri & puellæ ne pubescant.

Vt pueri, puellæq; non pubescant, sanguine tynni illinepudenda, frigidus enim est ac crassus: & si alibi illinatur, idem præstabit. facit & hoc lomentum fabarum, si assiduè loca eo lauentur: detergit enim atq; ita prohibet, donec cutis solidetur humore glutinoso: talia autem, ut omnia fermè alia, minimè sunt perpetua. At quæ absurda sunt, diligentius perquirenda, uelut quod Aëtius refert, scilicet in domo, in qua ciconiæ pennæ fuerint, infantem non sternutaturum. Exercui enim te certis in rationibus: quoniam quod uita caret, si longius absit ab homine nullas uires habere potest. Quòd uerò sint homines qui nunquam somniant, & ubi cœperint, moriuntur, aut grauiter infirmantur: hoc & uerissimum est, & rationem habet, quoniam supremi membri temperies mutata est. Sic quòd quæ utero ferũt, grauio-

Vt infãs nõ sternutet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p0662-8 DFG

grauiores patiuntur molestias, cùm fœtus capillos ædit: tũc enim fœtus afficitur, uelut post ortum dentibus erumpentibus: affecto autem fœtu, afficitur & mater. Muliebrium uerò mensium, cùm alibi sæpe meminerimus, placet hîc uires unà colligere: itaq; insecta occidunt, herbas plerasq; siccant, specula polluũt, lymphaticos ebibiti faciunt. Etsi dum illos mulier effundit (solet autem plerumq; id sub lunæ coitu facere) concipiat, fœtus imbecillis & leprosus, totusq; morbosus æditur. Ebur quoq; uitiant.

Homines qui nũquã somniant.

Grauida quando magis affligitur.

Comitialibus morbis (nam nulli alij magis debentur auxilia illa, quæ physica uocantur) Alexander scripsit pinguedinem chameleontis in oleo decocti, uentreq; ac dorsi spina inunctis, adeò prodesse, ut à morbo statim surgant, & post septimam inunctionem liberentur. Nicolaus prodidit, insusurrando in dextram aurem illud, Oremus præceptis salutaribus moniti: adiecta dominica oratione, post completam supplicationem, antequam absoluantur hæc ambo, ægrum à morbo surgere: uel forsan quandoque ita contigit, uel susurrus ille in eam aurem prodest. Vel cùm à flatu fiat, ut multi medici credunt, interim ille consumitur. Rinaldus magis ad rem: cùm luna Ioui iuncta est, dato patienti tribus diebus maceris, pæoniæ seminum & radicis dimidium drachmæ, foliorum gariophylatæ, & primulæ ueris (quæ est bellis) drachmam unam, teratur ac partiatur.

Menstũ muliebrium uires.

Melancholiam non parum iuuat, corpus urticis perfricare. Velut dentium doloribus, inter indicem & pollicem medicamentum imponere quod bullas excitet: quale cortex medius uitis albæ, uel ligustri exterior, uel ranunculi (cuius radix rotunda est) ipsa radix. Fumus quoque hyoschyami decocti canaliculo super dentem deductus, in

Melancholiæ.

Dentium dolori.

Ebrietati.

de os aqua impletur. Ebrietati absinthium, amygdalæ, caules præmansi.

Somnũ ut inducas.

Somno conciliando auxilia physica hyoschyamus sub ceruicali uiridis. Fructus iunci caulis pinguioris epotus. Oleum in quo oculus sinister eritij incoctus sit, in aurem instillatum. Vel apposita hirundine in angulis oculorum, atque abducta meconium instilla, potens est. Validius adhuc, si ex eodem fiat suppositorium, sed auferatur somno iam inchoato. Vel plantam pedum inunge pinguedine gliris, aut unguento ex aqua & aceto rosaceis atque argilla. Dicunt etiam, quod uix credi potest, dentes inunctos ex sorditie aurium canis, somnum profundum prouocare: referturq; ad Mundinum. Velut & illud, Malchus, Malchinianus, Maximianus, Constantinus, Dionysius, Ioannes & Seraphinus: sicut isti septẽ dormientes requiescũt in Monte Celior, nutu Dei, sic iste famulus pleno somno utatur, ipso iuuante, qui uiuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Ita imago rei etiam si falsa fuerit, plurimum, hac in causa conducit: nam nos librum habemus fabulosum, quem cũm legimus, statim somno corripimur. Similis fermè, sed euidentioris superstitionis, est cũm spleni scirrhoso lintea in crucem imponunt: his securim, quã ligneo malleo percutiunt, scirrhusq; soluitur succedentibus diebus.

Superstitio sum.

Scirrho splenis.

Calculosis & podagrosis amuletum.

Illud absq; superstitione, radix Peoniæ masculæ Maio collecta & crescente luna, pro amuleto suspensa, podagricos & calculosos iuuat. Si sanguis fluat è naribus, constricto eiusdem partis digito persæpe sistitur. Alij in fronte patientis ex illius sanguine scribunt, Consummatũ est. Quid opus habet hac superstitione diuina potentia? Ad præcantiones igitur referendum: frustratur enim sæpius, ut pleraq; talia. Hoc minimè, si mammæ lacte turgeant, ampullæ in aqua

Sanguini è narib. fluenti.

Lacti è mã-

aqua calefactæ papillis appensæ, illud trahunt, uelut si infans sugat. Cicatrices etiam constat proprio semine abscondi, ac quasi delitescere. Febris accenditur, si cornuti scarabei in oleo decoquantur, atq; ex eo pulsus inungantur. Confert enim non parum quandoque febris superueniens, ut in conuulsione & arthritide, cùm ex materia frigida fuerint, nonnunquam etiam in resolutione. Cur uerò id contingat, an ex sola caliditate, an etiam proprietate quadam, ut potius reor, nam & ex euphorbio id accidit. sed exurit, non est hic locus disputandi. Vesicæ & œdemata excitantur, si thapsia loco superponatur, aut raspiolæ puluere locus fricetur. Soluuntur illita theriaca, uel cummo, aut aceto superposito. Quæ hominis sensum in tormentis auferunt præter stupefacientia, sunt ueluti succus apij, chelidoniæ, crocus, fuligo, medulla & pinguedo humana, & hæc arterijs illita, ut etiam oleum lacertarum: ebibitum quoq; uinum, in quo octo diebus insusum fuerit semen portulacæ marinæ, prohibet, ne tortus confiteatur. Referunt etiam, si quis dormiturus tempora liniat upupæ sanguine, uisurum in somnis mirabilia: quòd à ratione alienum minimè est.

Atq; hæc ita se habent: quod autem utilissimum est in hoc proposito & maximè admirabile, est morum mutatio. Quàm pulchrum enim est filium perditum recuperare, & in melius commutare? quod in pueris una ratione, uerberibus scilicet, fieri solet. Sed hanc pro literis discendis improbat grauis iudicij Quintilianus: nihil tamen terribilius fame: iuuant & admonitiones seueræ & æmulationis studiũ inter illos, & socius bonus ac satis firmus, ne maiore periculo quàm spe res agatur. Et quæcunque mutare possunt adolescentium animos, & mores illorum corrigere. Posse autẽ mutari, ex hoc conspicuum est, quòd etiam insani & stulti

mis extrahendo.

Cicatrices.

Febri cienda.

Vt locus citra læsionẽ infietur.

Vt tortus in eculeo non cõfiteatur.

Vt in somnis uideas mira.

Mutatio morũ quomodo fiat.

medica arte curantur. Quæ igitur hoc possunt, sunt trium generum: humana, medica, & diuina. Humana reuerentia: unde patruis antiquitus pueri educandi dabantur, in quorum fide par securitas, nec amor nimius iudicium peruertit, nec seueritatem frangit. Vnde illud Persianum, Cùm sapimus patruos. cuius frequens est exemplum in comœdijs. necessitas, peregrinatio, ornatus: in alijs autem uilis uestitus, carcer, compedes, triremis, fames, quæ omnia animantia domat sensus uegetioris. Medica, ut sanguis detrahatur ad uirium casum: atq; id sæpe, si oportet: sed hoc non absq; periculo uitæ, certum tamen: reficere autem oportet uino, in quo columbi iuniores cocti sint. Sunt qui cum alio iuuene bonorum morum duplici fistula, alij unica, commutare sanguinem posse sperent: quod si fiat, commutabuntur & mores. Helleboro quoq; tutiùs, & lapide Armeno purgantur: nec minus utiliter, si sæpius. Sic & cibi certi, & qui cerebro cõueniunt, uelut nuclei omnes, & præcipuè pineæ, & amygdalæ dulciores, & auium cerebrum, præcipuè gallinarum, & columbi nondũ uolantes, & somnus prolixior, & quæ humorem affectui animi contrariũ generant. Diuina autem supplicationibus constant, & philosophiæ institutione, & lectione assidua sacrorum librorum. Enthusiasmo quoq;, qui fit in habitatione loci secretioris, præsertim subterra: ubi tam terra, quàm aqua diuinum quiddã spirant: & magis si soli inhabitent, & aquam bibant illam, & à carnibus, sanguine ac uino abstineant. Prosunt quoq; lapides suspensi pro amuletis: smaragdus inter alios: chrysolitus nostier qui topatius est ueterum, magnum autem frustum suspendi debet. Adamas quoque & hyacinthus gestati, ita ut carnem tangunt. Dicunt etiam de chelidonio, & maximè epoto. Et assiduus usus margaritarum, & hyacinthorum

rubentium

rubentium multum confert: sicut & melissa, & borago, & annulus gestatus, de quo suo loco dicetur.

Auri lamina super coronalem suturam gestata, cerebrũ confirmat, & dolorem capitis remouet. Eadem diu è cordis regione gestata, palpitationem illius curat, & cor confortat, lætitiãq; auget. Quòd si super renes ponatur, ipsos confirmat, refrigerat, & ob id nephreticis magno est auxilio, doloresq; sedat. Inde nata opinio sigillorum: constat enim sigillum Leonis liberasse mulierem iam pluribus annis renum calculo laborãtem: sed cũm ex auro esset, & super renes deferret, an metalli, an sigilli uis iuuerit, dubium sanè est. De his tamen suo loco dicemus. Bracchialia quoque ex auro iuuant, ne materia ulla manus infestet.

Capitis dolori.

Cordis palpitationi.

Nephreticis.

Manuũ morbis.

Quædam etiam referuntur ad astra: nam nodi, silente luna, si diu fricentur abscedunt, oportet autẽ singulis mensibus repetere. Quædam dubia ratione: uelut quòd fulmine percussi, si homo circumambulet, uim loquendi recipiunt: attoniti enim prius, resipiscunt & loquuntur. Nam de his qui mortui sint iam, aut breui morituri, si intelligas, absurdum erit. Os hominis appẽsum ut carnem tangat, prodesse doloribus uentris qui per circuitum redeant, creditum est. Et annulos ex bubalorum cornibus, prohibere dolores qui in membris fiunt à flatu: ramphum quidam uocant. Est autem propriè in musculis, & quasi conuulsionis initiũ quoddam. Talia nec semper uera sunt, nec silentio tamen prætereunda, cũm in auxilio nullum sit periculum: & persæpe, ipsa morbi uiolentia, omnia etiam absurda cogat experiri. Illud planè non absurdum, ægros qui imaginem è pupilla reddunt, posse sanari: qui non, non. Eorũ tamen qui sanari possunt, multi moriuntur, quod nondum uis lethalis eò obreperit: periturorum autem, uix unus aut alter seruatur.

Nodi quomodo tollantur.

Fulmine percussis.

Ventris doloribus.

Musculorũ doloribus.

Aeger anconuale-scet.

Verrucis tollendis.

Cùm etenim uitalis calor manet, pupilla reddit nitore imaginem. Nulla uerò in parte medicina superstitiosior, quàm in abolendis uerrucis. Serapio refert, cõtactas singulas singulis ciceribus in mensium Calendis, ciceribusq; post terga reiectis, deleri. Nec tamen in Calendis Sol est in signorum initijs: imò neq; semper certo loco. Deinde quid refert, an post terga proijciantur, an in latus? uel aquam, aut ignem? Et tamen uir hic, in cæteris minimè est superstitiosus. Alij referunt, quod etiam expertum est, folio ficulneæ cõtactas aboleri, si folia ipsa sepeliantur. Sed quid sepultura hæc foliorum commodi afferat in hoc casu, non uideo: forsan etiam insepulta, idem efficient. Eandem superstitionẽ in columbi corde obseruant, postquam uerrucas tetigerint. Alij salis granis tangunt, & in furno illa postmodum exurunt. Causam omnium horum esse existimo, uim medicamenti, & opinionem hominis, & facilitatẽ operis, et casum ipsum: quem syderum constitutio quandoq; iuuat. Simili superstitione Aëtius consulit, canem summa diligentia sepeliendũ, qui ex morbo ab homine contracto perierit, nam plerosq; graues morbos homine liberato in eum transfundi putat.

Homines morbos in canes secũcubantes transfundunt.

Dormire in locis humidis, aut intra nouos parietes, præsertim testudinatos, graues morbos gignit: ueluti dolores, febres, cæcitates, resolutiones neruorum, memoriæ amissionem, insaniam, pituitæ abundantiam, destillationes.

Pernoctare locis humidis, quid afferat.

Vnguentum emolliens maximè.

Vnguẽtum emolliens maximè, olei de uitellis ouorum, mellis puri, singulorum partes duas: resinæ puræ, ceræ uirginis, singulorum partem unam: olei laurini partes quinq; misce, & cola, inunge in Sole.

Adurentia medicamenta.

Adurentia medicamenta calcis uiuæ partes duas, salis & saponis singulorum partem unam, trito misce, ure, & loco impone. Aliud, perforetur locus ignita subula, coryli ligno

gno cortice nudato fricetur, inde uitella ouorum tepefacta superponantur. Quòd si auro ignito locus aduratur, innoxium erit ac salutare. Aliud, è radicula orbiculi fiant, & super tegulam ignitam incalescant, superponantur à quinque ad nouem, unus post alium.

Fœcunditatis ac sterilitatis signa.

Vt fœcunditatem ac sterilitatem dignoscas in mascu- lis, semen in aquam immitte: si fœcundus sit, descendit ad imum: si fœcundissimus, etiam concretum, est enim ualde concoctum: si spargitur, minimè prolificum. In fœminis autem, si suffitus ex utero seu pessaria nares petant, & colores in angulis oculorum impositi saliuam tingant, prolifica est: aliter, ut Aristoteles inquit, sterilis. Si igitur fœcũda est mulier, nec tamen concipit, à coitu pessarium immitte statim, cerusam, thus, & picem: nam ex picis odore ad superiora uterus contrahitur, cerusa & thus cõfirmant ipsum: ita in usu antiquis hoc medicamen fuit.

Ad concipiendum.

Partus facilis ac difficilis notæ.

Mulieres autem parientes quædam lumbis dolent, quæ uix pariunt: quædam aluo, quæ ocyssimè: quædam imo uentre, quæ pariunt difficulter. Infantes autem nuper nati, sanguine ex umbilico profluente, moriuntur: at obstetrices peritæ, repulso per umbilicum sanguine, eos restituunt uitæ.

Infantes nuper nati qd agant.

Vt uerò nati sunt infantes, statim manum ad os admouẽt, queruntur q: & intra uigintiquatuor horas excrementum reddunt. Vbi mensis septimus aduenerit, dentire incipiunt: atque eo celerius, quo nutricum lac calidius extiterit. Vsque ad septimum diem obnoxij conuulsioni sunt maximè, lethalior tamen si aluus supprimatur, & à scapulis incipiat conuulsio, & quæ in plenilunio oritur. Et cùm nutrix obesior, lacq; crassius fuerit: ipsaq; flatuosis cibis ac uino utatur, maximeq; nigro.

Infantes q cõuulsioni obnoxij.

Venerem excitare creduntur spongiæ suppositæ, ut

Venerẽ quę

multũ excitent.

Athenæus refert, quod ego facilè crediderim, postquam durior decubitus idem efficere soleat, licet non adeò uehementer. Odorem quoque allei & ceparum, rutam tollere. Dioscorides refert: ego tamen alterius generis rutam requirerem, utpote ualentioris odoris. Sed multa scribuntur etiã ab egregijs autoribus, quæ minus uera sunt. Quominus demiror quendam scripsisse, rusticum habuisse in uentriculo gladios & frusta ferri, ni forsan ipse ob stultitiã sponte deuorasset. Illud naturale est quod Albertus refert, uidisse mulierẽ, quæ cũ diu cõflictata esset dolore renũ, graui dissecto loco decemocto lapides emisit magnitudine aleæ.

Miraculum de lapidib. à muliere decisis.

COMMVNES CALAMITATES. CAP. XLV.

De communibus calamitatibus, non uno in loco locuti sumus, seu in libris de Aeternitatis arcanis, aut de Fato, seu in Cõmentarijs super Ptolemæi artem prædicendi per astrorum cursus. Nihil tamen alibi dictum est, quod hic repetatur: ratio enim tractationis, penitus diuersa est in omnibus. Sed his omissis, naturales causas, & quomodo fiant hæc, diligẽtiùs spectemus. Videntur enim calamitates generales, ex generalibus causis necessariò fieri. Quæ autem generalia sunt, primùm quidẽ tria elementa. Et secũdum unumquodq; horum generaliter affici homines contingit: à terra quidem terræmotu, unde excidunt domus, & terra dehiscit, & colliduntur montes, & mare absorbet naues. Ab aqua fiunt inundationes, unde suffocantur homines & animalia, fitq; terra inhabitabilis, paludosa, & stagna frequẽtia, & aër corruptus. Ab aëre autem fiunt uenti domos euertentes. Sed & hoc consideratione

deratione dignum, quanquã alibi alijs cõmunibus calamitatibus hoc genus non adnumeretur. Fiunt & defectu necessariorũ, ut in annonæ penuria, & fame, miserrima certè mortaliũ cõditione. Aut læduntur homines ab hominibus, aut ab animalibus: ab hominibus bellum uocatur, omnia secum mala adducens, cædes, direptiones, iniurias, incendia, famẽ: ab animalibus, cùm uel ueneno perimunt, aliter fieri non potest, ut communis sit calamitas, uel tædio, ut ranæ, muscæ, culices, uel si sata destruant: sed hoc ad aliud genus transferri debet. Vltimum est, cùm sponte homines pereunt, nulla ui exteriore manifesta adacti: uocaturq; hoc calamitatis genus, pestis. Pereunt & quandoq; animalia usibus hominum necessaria: sed hoc genus, licet aliâs adnumeratum sit inter calamitates cõmunes, non tamen hîc censeo debere numerari: quoniam de proprijs homini, sermo habetur. Porrò hæc lues pecudibus, & suibus, & bobus accidere solet, equis, capris & canibus non. Quæcunque igitur uiuacia non sunt, & gregatim uiuunt, & humida natura cõstant, maximè lue corripiuntur, ut oues: boues gregatim uiuunt, & uiuaces non sunt, ideo non tam facilè lue corripiuntur. Sues uerò uelut oues. Canes non sunt uiuaces, sunt tamen sicci, nec gregatim uiuunt, ut nec equi, qui etiam uiuaces sunt, ob id rarò lue corripiuntur. Quicunq; uerò gregatim uiuunt, tentantur quandoq; ab his. Capræ ob immodicam siccitatem, rarius bobus tentantur. Itaq; constat septẽ esse calamitatũ humanarum genera cõmunia, quæ repetere non pigebit, Terræmotus, Inundatio, Ventus, Animalia, Pestis, Bellum, Fames. De incendio multi dubitarent, sed hoc calamitatibus publicis non meretur adnumerari: trifariàm enim imaginari potest ut contingat, casu, ab hominibus, naturaq;. Quod ab hominibus fit, ad bellum aut seditionem

Cur equis capris & canibus lues non accidat.

Septem humani generis uniuersales calamitates.

tionem referri debet. Quod casu, generale esse non potest: præterea si generale uni urbi sit, ad hominum factum pertinet: at hic de illo non consideramus: quanquã cõstet olim Scoticam regionem sparso igne quandoq; penè totam conflagrasse, uento iuuante. Sed hoc ob ædificiorum materiã contigit, quæ incendio tota parata erat. At naturale incendium, Puteolis cõtigit ætate nostra, & diu in Aetna fuit: uerùm non incendium propriè, sed terræmotus est: non enim igne domus consumuntur tam, quàm cineribus obruuntur. Si igitur hoc incendium esse debeat, uel flamma, uel pruna erit: pruna, lentè orbẽ occupabit: flamma, mare non potest absumere. Incredibile enim est, igne tantum aquarum absumi: aut igitur prius maria absumi oportet atq; siccari, aut orbem non cõflagrare. Dupliciter autem contingit hoc: aut quoniam supra naturam hæc erunt, aut non sic intelligẽda: uel prius confundi omnia, necesse erit. In aliqua tamen regione hanc calamitatem oriri haud absurdum est, cùm solum & agri in sulphuris ac bituminis naturam transierint: quemadmodũ circa Sodomã & Gomorrham olim. Quapropter hæc calamitas, licet generalis sit, alijs tamen septẽ non adnumeratur: quoniam toti orbi simul contingere non potest, donec orbis ipse consistat. De hac tamen, ut de alijs dicendum erit. Est autem præter id, hæc etiam rarissima inter alias. Porrò pestis, ut ab ea initium sumam, quatuor de causis contingit: uitio aquæ, aëris, cibi, & contagio. Vitio aëris atq; aquæ, nouit Hippocrates: ut uerò tam uehemens sit hæc in aëre putredo, ut Prothasius Rouellus amicus noster referat, anno M. D. XXIIII. quo adeò pestis in urbe nostra sæuijt, uidisse panem recentem per noctem aëri expositum, non solùm mucidum euasisse, sed totum scatere uermiculis. Quòd si uera refert (dubitandum enim semper censeo

Pestis quatuor de causis contingit.

censeo de ueritate generali, quæ est Dei sapientia, ut in libris de Aeternitatis arcanis, dictum est, testimonio singularis quantumcunq; probi uiri) nihil non timeri oportuit: & certè bene ualentes, intra sex aut octo horas moriebantur. Quid mirum, si aërem alimentum cordi & cerebro, id est, spiritibus in eis contentis, esse oportet? Ab aqua, tam pernicioso esse non potest, quod excoquatur, quod uino liceat uti. Vtrum autem aëris substantia putrescere possit, alibi dictum est. Eam uerò quæ ex alimentorum uitio contingit, fami succedere fermè necessarium uidetur. Refert Auenzoar, quandoque in regionibus suis eo uentum (horribile uel solo auditu) ut propter famam cadauera mortuorum è sepulchris eruerent homines, ut ossium medullas ederent. Vt nihil non posse uideatur atrocitas famis. Sed eam consecuta est pro magnitudine pestis, quam Arabes medicos agnouisse haud dubium est. Eam uerò Italicam quæ nostris temporibus crassatur, & non solùm hic, sed & alibi, ex contagio leuissimo præsentem mortem afferẽtem, nec Græci, nec Arabes cognouisse uidentur. Itaq; de causis horum dicendum, tum etiam accidentibus. Itaq; contingit eam, quæ cõtagio fit pestem, sedari magnis caloribus, dum uapor ille prius dissoluitur quàm arteriæ illum hauriant: & à magnis frigoribus, quoniam arterijs occlusis non attrahitur, nisi postquam uires amisit. Manifestum est igitur, pestem contagiosam fieri, ob attractionem uaporum ab arterijs, unde sanguis inficitur: ut in corruptione aëris, spiritus: in aquæ corruptione, humores: in ciborum autem putredine, humores, spiritus, pariterq; membra. Vnde ab hac uix homines effugiunt: cùm reliqua afferant mortem quidem, non tam securam, quàm celerem.

Pestis cur magnis caloribus, & frigoribus sedetur.

HVMA-

HVMANARVM RERVM SVBSTANTIA. CAP. XLVI.

QVAECVNQVE in his alijs'ue libris de naturali historia, aut circa alias disciplinas scripta sunt, solùm postulare uidẽtur eius artis quam attingimus peritiam, ac ingenij quandam mediocritatem: uerùm quæ hic scribuntur, non his tantùm egent, sed præter summam peritiam, senilem requirunt ætatem: & neq; sic semper, aut persæpè, sed rarissimè, & quasi per numinis afflatum, solùm percipiuntur. Quædam autem in his quasi suppositа, uel narrationes sunt, quædã uerò ipsius rei substantia. Quæ meritò ad uniuersi substantiam traduci poterat, sed ad hominem tantùm eam contraximus, quòd homo maximè & præcipuè diues, fœlix, & aliquid esse sibi uideatur. Et quod quæ de eo dicuntur, uniuerso etiam conueniant. Itaq; ut ad rem ipsam ueniam, Diodorus ostẽdit Osiridem tot commoda hominibus ostendisse, ut etiam zithum: sed & alibi Dionysium, quibus in regionibus liceret uinũ. Regna illa magnifica Sesostris, Amasis, Sumandij, Osiridis, tot reges, ut CCCCLXXV Aegypto uiri imperarint, præter fœminas quinq;. Addunt tempora quibus dij imperarunt anni decem millia: horum postremus Osiris. Viri quindecim millia. Operum uerò magnitudo, quorum etiam tempore Diodori uestigia incredibilis magnificentiæ, & uetustatis longè maioris supererant, aliud in æstimatione humanarũ rerum relinquunt. Templum enim diui Laurentij, Mediolani, quod iam annis MCCCC constat extructum esse, nullam ferè uetustatis iniuriam ostendit, imò nec testimonium. At Aegyptijs longè solidiora erant opera, &

Aegyptij Regni antiquitas.

ra, &

ta, & tamen uetustate exesa. Quorum mores & circuncidendi consuetudo ad Iudæos, & Colchos, & Troglodytas transierant. Ita fit ut aliud earum, quæ traduntur rerum, initium habeatur. Sed hæc ad Arcana æternitatis pertinent. Vnum hoc uniuersum constat tale esse, ut ubiq; indigetes habuerit atque iamdiu, ut tam multi indigenæ in insulis præsertim iam remotis, uix tam breui tempore concrescere potuerint. Deinde quis impulit: nam necessitas, & copia hominum, nouas sedes quærere coëgit. At stativm ab initio mundi tot fuisse mortales, ut nouas sedes quærere cogerentur, res prorsus miraculo similis dici potest. Quare necesse est hominum genus substantia potius propria, quàm ortu, consistere. Quæ autem sunt, alia quidem uerè, ut cœlum, & intellectus, & elementa: in quibus neq; prius, nec posterius: alia uelut umbræ, & potentia quadam, ut elementorum partes, & quæ ex his animalia, & plantæ: alia media, ut hominum substantia, & si quid melius in eo genere est. Sed non uidetur hominis substantia esse, quoniam neq; in præterito, quod penitus nihil esse uidetur. Ostendit autē hoc longa uetustas & obliuio, quæ eiusdem est naturæ cum nuper præteritis: neq; in futuro, quod in expectatione manet, eademq; nobis incerta: neque præsenti, quod momentaneum est & instabile. Et ob id sapientes pyrrhonici dixére, nihil interesse inter bonum malumq;, cùm adeò parū distent. Nam quæ de inferis feruntur, inuenta sunt ab Aegyptijs, cadauera, ut apud inferos fertur de animis, tractantibus: nauigio imponuntur, accusantur, defenduntur, iudicantur, impiorum cadauera uolucribus exponuntur: piorū immortalitate, quatenus hominibus fas est, donantur, ea à corruptione uindicantes. Exemptis enim uisceribus, superfusoq; uitro, post aromata indita, seruabantur magnificis

Inferorum opiniones unde ortæ.

ficis sepulchris. Atq; horum ac reliquorũ, quæ circa funera exercẽtur, inuẽtor Pluto Saturni filius apud Cretenses: ob id Deus inferorũ existimatur. Et certè hic metus iudiciorũ, & cõtumeliæ cadaueris, longè plures auocabat à facinõribus, quàm fabulæ de animabus cõfictæ, similes his quæ uerè in cadaueribus celebrabantur. Nec minus, ut nunc uideo, faciat religionis nostræ reuerentia, & si uerissima sint, quæ in ea docentur, et multo uerisimiliora his quæ apud Poëtas de inferis narrantur. Quid igitur relinquitur nobis, si spẽ eam de inferis & superis sustuleris? Vtcunque igitur sublata ea spe, tenuissima est substantia rerum humanarũ. Sed augetur affectib. Diues celebrat conuiuia (ludos olim Romani) pompas, ædificat. Honoribus insignis comites ducit, imperat, oppugnat, repugnat, euehit, deprimit. Principes bella gerunt, opprimunt, eleuant. Eruditi scribunt, docent, contendunt inter se: dumq; hæc agunt, aliquid esse uidentur, præterea nihil. Quòd si Epimenidis somnũ obdormias, neutiquam uiuacior, aut diuturnior extiteris. Cùm ergo ex hac uita emigras, quid iuuat etiamsi mille uixeris annis? Tunc enim ne plus quàm in Latmio Cariæ Endymioni. Sed hæc optauit puer adamatus. Et præstitit fœmina iudicij expers atq; amans. In hoc uerò perpetuo fluxu, refluxuq; rerum, tumultus speciem alicuius rei præbet: nobis autem duo affectus, spes & timor: quorũ principium est ἀπειρία nostra. Ergo ut in toto quodam pars, ita uiuimus, & in arbore truncus. Sed his quidem obscurius, his clarius esse datũ. In hoc ergo toto in quo uiuimus, continuitate quadam uita perstare uidetur. In plantis nos fallit maximè, quæ deiectæ renouantur, ut uitis. Sed ad uniuersum quidem aliquid, ad nos autem forsan nihil attinet. Rursus quod uerè est, sempiternum est: homo paruo tẽpore uiuit, infiniti finitum pars nulla

Actiones humanę insigniores.

nulla est, itaq; hominis uita omninò inanis est, atq; media inter id quod est, & quod nõ est. Tempore tamẽ modico in quo tẽpus nullũ est, dũ cõtẽplamur, dijs simillima Sed hãc si militudinẽ uix queas exprimere, cũ nescias similitudinẽ, quo niã uitã diuorũ ignoramus. In hac igitur, pfectio est uita, & uita in cõtẽplatione. Referũtur aũt hæc ad ea, quæ de humana anima scripta sunt. Quid igitur, si non infinitum est quod cõparatur, refert triennium, aut paulò plus, non autẽ plus, ad totã æternitatis longitudinẽ? certè nihil. Hæc igitur sunt quæ in tota humana fœlicitate, potestate, ambitione q̃, sita sunt: sed affectus umbræ, & in umbris magnitudines rerũ, uelut in somnijs, & laruis, ac spectris, fabulisq̃, p machinas repræsentatis, æstimãtur. Fallimurq̃ imagine recti, & magis uiolentia quadã. Est aũt aliud æternum apud nos uersari, aliud quod assumitur: hoc autem partim modico tempore, partim perpetuo, ueluti animus qui intermedius fuit. Itaque cũm tam tenuis sit nostra substantia, à minimis afficitur, & omnium successuum minima quædam sunt exordia, & minimis mutationibus oritur & desinit: parumq̃ abesse uidetur à fictis poëtarum nominibus. Quòd si ad præsentia respicias, omnia sunt confusa, imperfecta, & perturbatione plena. Omitto nunc ægros, captiuos, exules, mẽdicos, quos nemo audeat dicere fœlices: senes etiã & infantes, sub mortis limine, illos sub metu ferulæ infœlices, & penitus miseros: de his qui optimam uitam ducere existimantur, sermo habeatur. Pauper, perpetua est in solicitudine ut diuitias acquirat, atq; hic est semper infœlix, triplici, non uno modo: labore primũm, inuidia qua torquetur, & desiderio cum timore iuncto. Sit modo diues, non pauper, plures ex his orbi cupiunt filios, alij secretioribus quibusdam morbis detinentur. Sed hos, ut infœlicissimos præterco.

Humana miseria.

tereo. Quid dicam de his qui in mediocri statu timent, primùm à principibus, à potẽtioribus, à casibus, inde inuident melioribus: quo fit, ut ille dicebat, ut

Tantum crescat amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Iam sit diues affatim: quod curæ seruãdi parta? imò Princeps: furantur dispensatores, procuratores, alius non est soluendo, differt alius, alius litem intendit: grando, pruina, latrones, quilibet indies existimat explicaturum se melius à negocijs, meliorem fortunã sibi pollicetur. O` si nunc morerer, dicit, quanta & qualia imperfecta mihi manerẽt? sed si uel mensibus decemocto superuixero, omnia redigam ad libellam, ab omni debito, creditoq; me explicabo. Præterunt interim & mẽses decemocto, & cum illis anni, & adhuc plura restant quàm prius. Quid igitur speras (ô insane) finem, quem tuis rebus non inueneras in iuuenta, in senecta impositurum? O` dementiam extremam: cùm ergo nunc ob curas, ob negocia sis infœlix, uel iudicio tuo, quid putas futurum cùm plurima supererunt? Si res minuitur, crescunt debita, crescit solicitudo, & curæ crescunt: si augetur, plus laboris, plus periculi, atq; debitorum, ut ex infœlici, sis futurus infœlicissimus. Præsertim ea ætate quæ non solùm alijs imbecillior est, sed etiam contemptui habetur. Te despiciunt omnes, nisi qui uel aliquid expectãt, aut metuunt: qui metuunt, oderunt: qui expectant non solùm oderunt, sed exitiũ tuum auidè cupiunt: qui meliores sunt, aut coniuncti ualde, ut filij: alij etiam molliuntur. Ergo si rectè substantiam rerum humanarum metiaris, cùm perfectionis omnis expers sit, cumq; perturbationibus plena, tota in spe ac metu constituta est. Nec est quòd potentes, beatiores alijs credas, cùm suos quisq; patiatur manes. Quid habent deliciarũ præter alios? in cupedijs gulæ, cocus & pueri

illotis

illotis manibus ab exoneratione uentris omnia tractant: commodi conuiuium. In uenereis, uetitis uti placet, licet sordidioribus? Non? sed Cæsar & rex Gallorum Gallica lue correpti sunt? quid profuit Regnum? Sed adsunt diuitiæ. His ipsis hæredibus inuisus es: seu filij, seu affines, seu ex testamento, seu fiscus.

Filius ante diem, patrios inquirit in annos.
Verum saltem filijs relinquentur.

Hoc nuper apparuit, quàm nõ tutum esset, pupillum etiam Regem relinquere, Regi Anglorum. Quanquam in hoc erauit Henricus pater, quòd lege cauere debuit, ne quispiam plus anno magistratum gerere posset: & ne duo affines, aut ex eadem familia, simul magistratus primos gerere possent: quales sunt Princeps, Senatus, Præfectus classis, Aerarij custos, A cubiculo Regis, & Arcium Præfecti, & urbis principalis. Maiore errore admisit inter consilij primos, filios damnatorum. Quos si iustè damnauerat, flagitiosorum filios quorsum euehere fuit? Si iniustè, decuit formidare, iniuriam illatam ne ulciscerentur. Itaq; peccauit multipliciter. Sed fac non erret testator omnis adhibeatur diligentia, fieri ne poterit, ut substantia hæc quæ circulo quodam agitur, consistat diutius? Vbi tot Aegyptiorum, Persarum, Scytharum, Græcorũ, Romanorumq; Reges? Vbi familiæ ullæ ex antiquis, uel duorum millium annorum, quæ uel solum nomen retinuerint? Quid igitur sperandum, aut optandum, hac in causa? Cũm uerò bis mille anni ad æternitatẽ collati, seu ad necessitatem cursus, seu ad præteritum, puncti uicem referant, retineantq;, quid in hac tanta uicissitudine atq; instabilitate spei, aut securitatis uoluptatisúe constituendum est? Quidúe in hac sphæra fidum, quid tutum, aut multo minus firmum esse potest?

Præcepta Regis filiũ impuberẽ relinquentis.

Ergo nulla substantia, nisi umbra, & umbræ somnium.

Tria maxima habet humana sphæra.

Tota uerò sphæra, ut sertum solidum est, in quo gemmæ quædã relucent ac scintillæ: aliæ modico, aliæ maiore temporis spatio durant. Hi sunt sapientes, in quorum ortibus ac occasibus uidentur quædam mirabilia, quoniam superior sphæra cœlestis ac intelligens relucet in illis. Perpetuò uerò nouis partibus pereuntibus, & succrescentibus, uelut & terra ipsa manet & permutatur. Nec tota mutari uidetur, ob partium quæ mutantur paruitatem: nec omninò uidetur, ob continuitatem successionis. Quædam autem partes uidentur obscuræ & tetræ, ut quæ ad Parthos, & Scythas, et Arabes. Quædam etiam insignes, ut Reges. Sunt autem tanquam nodi: & ideò etiam in horum interitu quædam prodigiosa apparere solent. Sunt & Prophetæ & legumlatores: his tribus tantùm generibus sphæra hæc illustratur. Collidunt aut se partes ac atterunt, proximiores præcipuè.

Quatuor hominũ genera.

Assimilantur autem homines quadrifariam: Deo in primis, uocanturq; probi: Eorum autem delectatio est, uel in cognitione altissimarum rerum, uel secretarum, aut in opere secundum uirtutem: unde probus homo, idem qui & sapiens. Vel propriæ perfectioni, uocanturq; prudentes: eorum autem delectatio, in opulentia & tractatione rerum maximarum ciuilium. Vel mulieribus, uocanturq; effœminati: eorum autem delectatio, in luxu est. Vel feris, uocanturq; ferini: eorum autem delectatio, in cruciatu tam uirorum quàm etiam puerorum. Videntur enim omnes ad hæc genera reduci. Aut enim ad remissionem proclines sunt, ut effœminati: aut intentionem operum diuinorum, aut humanorum, aut ferarum.

Legumlatorũ Regũ & sapientũ discrimen.

Sapientium proprium est posse prodesse, Regum autem obesse:

obesse: atq; his maximè discriminibus seiungũtur. Legumlatores autem speciem quandam utriusque retinent: sed ad populum referuntur & rudes, ut Reges ad optimates, sapientes ad eruditos. Propterea Reges cum sapientibus conueniunt: utriq; uerò à legibus destruuntur: leges autem dico nouas: nam temporum successu, ambobus alijs carere nequeunt. Sed de his in Arcanis dictum est. Nunc satis sit ostendisse, quoniam ea prodita est opinio humanæ substantiæ, quæ magis intelligi posit: cùm ea quæ uera est & obscurior, eundem finem habeat.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. Liber IX.

De Motibus.

MOTVVM GENERALIS RATIO. CAP. XLVII.

QVINQVE uidentur esse circa motum & quietem, quorum tria euidentem habent causam, reliqua duo non ita. Quòd enim terra quiescat, id euenit quoniam grauis est admodum & sicca, ut si moueretur, dissipare necesse